This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Educ
1168
635

Digitized by Google

Educ 1163.635

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

GIFT OF THE
GRADUATE SCHOOL
OF EDUCATION

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

55

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

STATUA HONORIS
ERECTA
GYMNASIO
OTHINIENSI REGIO
CURA ET CALAMO
Doct. GEORGII HANNÆI
ANNO 1692.
QVAM
POSTEA CONSUMMAVIT ET OMNIBUS VISENDAM
NUNC EXHIBET
LAURENTIUS LUJA
PHILOSOPH. P.

HAFNIÆ, M. DCC. XXV.
Typis P. J. Phœnixbergiani.

Digitized by Google

Educ 1168.635

HARVARD COLLEGE LIBRARY
GIFT OF THE
GRADUATE SCHOOL OF EDUCATION
Dec 5, 1931

Monentur Emptores, primam editionem Hafnienſem, qvæ ex typographeo WIELANDIANO in Octavo prodiit, eſſe vitioſiſſimam, & innumeris mendis typographicis refertam.

Digitized by Google



DEO TER OPT. MAX: & ECCLESIÆ
HOC COLLEGIUM STATUIT
SERENISS. & POTENTISSIM: REX DANIÆ & NORVEGIÆ
CHRISTIANUS IV.
PROXENETA VIRO ILLUSTRI & GENEROSO
Dn. OLIGERO ROSENKRANTZIO
Dn: De ROSENHOLM, REGNI DANIÆ SENATORE & OTHON: PRÆSIDE AMPLISS.

Anno MDCXXI

Digitized by Google

Digitized by Google

Illustrissimo & Excellentissimo

HEROI

Dn. CHRISTIANO de LENTE,

Domino de Zarlhausen,

Ordinis Elephantini Eqviti

Aurato,

Serenissimi Daniæ & Norvegiæ

REGIS

FRIDERICI QVARTI

Consiliario Intimo & Statûs,

&

Ceremoniarum Magistro Summo,

Literarum & Literatorum

Mœcenati Gratiosissimo,

Digitized by Google

Illustrissime, Excellentissime & Generosissime
HEROS,

PATRONE Gratiosissime!

Non qvorundam svasu, nec aliorum instinctu, sed Tuo jussu, Mæcenas maxime, sistitur jam orbi universo ante oculos hæc statua Honoris, ne publicum subterfugere videar. Tibi qvod consecravi opusculum, nunc mittere sustineo, utinam ad palatum Tuum, qvi cum Diis tantùm ex condigno conversari deberes, sic digito cœlum attigisse videbor, cum conticescant ranæ, tonante Olympo. At palpo vereor indiget, qvæ limam reformidat acutiorem, cum asciam vix sustinuerit ultra dimidium nonbene elaborata statua, sed Tuo judicio, favori Tuo, me & omnia mea subjecta cupio, qvi Tuam non hodie, non heri, non nudius tertius didici venerari umbram, adorare famam, vel ipsis antipodibus notissimam. Sera, precor, & nepotibus nostris dies illa detur, cum cognita sit, qvâ Tantum Virum sibi ereptum lugeat Orbis, sibi redditum gaudeat Cœlum! permittas, qvæso, Generosissime, & Excellentissime Heros, Te à me coli, qvi æternùm Vivo

Illustriss. Tuo Nomini

addictissimus & subjectissimus

L. Luja.

Digitized by Google

Felicitatem Parentum primorum multa fuerunt qvæ commendabant, Anima ſancta & ſapiens, Corpus pulchrum & experrectum, Vita felix & beata, Paradiſus tutus & amœnus, imo cumulum tantum gratô adauxit ſuperpondio IMMORTALITAS, prioribus longiſſimam datura perennitatem. Nec aliud, præter æternam felicitatem, perpetuâ qvaſi olivitate ſine fruſtratione continuè vernantem, Paradiſicolis exſpectare fas erat in tàm Divino viridario, præ qvo hortus Alcinoi, biteris inclytus pomariis, hortus Heſperidum, ſuis aureis malis inſignis, penſilisqve Semiramidis hortus, ſeptem miraculis mundi annumeratus, lutum ſunt & horrida feralium plantarum ergaſtula. Tot illi fruendo gaviſi ſunt bonis, qvot nos carendo deſideramus ægerrimè. Ponitur autem nunc debitum (ut ut poſt feſtum, heu!) his privilegiis pretium, cum ea, qvæ in poteſtate habuerunt fortunatiores Majores, deperditis annumerare teneantur infortunatiſſimi Poſteri. Sed vah fugacia hæc gaudiorum ſemina! ſive illa Primoribus noſtris Qvadriennium viguerint, ſive Septennium accreverint, ſive Seculum floruerint, ſive, qvod credibilius, eodem qvô cœperint occubuerint, die, & qvod ſine rubore fateri non licet, vix benè nata e-

va-

Digitized by Google

vanuerint, proh Hemerocallin floridulam, marcescentem ocyssimè! adcujus casum, eodem qvasi ictu, concidit omne gaudium, in luctum & lacrymas conversum, imò pudore, pœnitentia, exsilio, ærumnis, ipsaqve morte suo merito expiatum. Actum fuisset & conclamatum de genere humano, omnique felicitati ipsius, tam temporariæ qvam æternæ, itum fuisset exsequias, ni præcipitem iram suam in immeritam vertens misericordiam, parentes liberosqve aeterno eripuisset naufragio Altissimus. Qvodsi autem obduxerit heic aliqvis, detritæ purpuræ Adamicæ præclaras eqvidem assutas postea fuisse lacinias, sed rediisse tamen nondum ab exilio Corporum non-mortalitatem, sciat & huic defectui, Numinis indultu, ita esse provisum, ut IMMORTALITATI succedaneam in Orbe, hodie Fama commodare possit operam, merentibus æternitatem datura, ipsamqve virtutem, si non qvidem majorem, nihilominus tamen illustriorem redditura. Hinc tantum attribuerunt Famæ veteres, ut ipsam pro Dea habuerint, cui qvoqve Templum dicare non dubitavit Furius Camillus, imo aras Famæ erectas fuisse Athenis, ore rotundo fatetur Pausanias. Et qvid, qvæso, rerum humanarum charius Famâ, qvæ sola, subducentibus se vel ante nos vel nobiscum, caducis omnibus, perennabit, atqve heic erit, cum nos non erimus. Ideoqve licet alios alii felicissimos existiment, tamen ego hunc, qvoad bona fortunæ beatissimum judico, qvi clarâ & mansurâ perfruitur Famâ, contusqve posteritatis, nec vivit nec moritur sine gloria & Fama, orbis cordati studiis ac memoriæ eruditorum perpetuæ committenda, neqve placebit, spondeo, illi pingve illud altumqve otium, neu blandula illa & mollicula desidia, cui ante oculos fuerit tantum æternitatis brabeum. Non tamen ab omni interitu adeo immunis est lychnus Famæ perpetuæ, qvin recens expresso laudationum memoriæqve indigeat oleo, defi-

Digitized by Google

deficiens alioqvin tamen renovaturo. Adeo nihil est tam ab omni parte beatum, qvod non arrodant mordaces ævi dentes, aut qvod vetustatis non sentiat cariem, devorante singula rerum omnium helluone, tempore, nisi cautionem secutura adhibuerit ætas, ipsosqve Antecessores mori vetuerint Posteri. Exempla hoc evincentia aliunde conqvirere haud erit necesse, cum domi occurant & in aprico sint, testor inclytum hoc, qvod Othenis est Athenæum; angustum illud qvidem, sed magnum tamen virtutis theatrum! hujus ortum, hujus progressum qvis novit? qvot & qvinam de illo præclare meriti sint FUNDANDO, DONANDO, DOCENDO, ecqvis rogatus hodie dicet, nisi inter loqventem & balbutientem medius! adeo & veri & vetustatis ignari sunt plurimi, qvosdam vix fama retinet, alios vix fides, multorum nomina silent, plurimorum merita jacent, qvasi inter laudes & culpas sepulta. Sic alius alium, per annos bene multos, ad sepulchri præmisit Silentia, ipsemet secuturus postmodum! qvasi illud fatorum obliqvius jussisset arbitrium, ut in eodem lectulo, & longiore vita dignissimi Viri & egregiorum operum cursus exitii gverentur simul, At hanc tot immerentibus capitibus imminentem averruncare cladem boni viri esse putavero, imò & meatum partium esse ea, qvæ huc spectant, nec calcare nec ignorare, sæpius igitur tuli asperrimè istam adeo supinam oscitantiam, qva mortuorum memoriam heic conculcari planissimè passi sunt vivi, qvasi pœnam consimilem posteris daturi, donec de æqvè ignotis conticescerent. Sic transit post alias aliasqve actas comœdias mortale genus! Sic transit etiam vel maxima mundi gloria! &, qvod deterius est, sæpius perqvam optimè promeritorum memoria sic transit. Lubrica vita! diffluente haud stabilior aqva. Ludunt in salo pisces, vagasqve in alto edunt circulationes, blandulâ sese regentes caudâ, cujus levi in utrumqve momento velocita-

tem moderantur ſuam, oculis ſe noſtris mox mox ſubducturi. Ludunt in ſolo homines, & inter Cupidinum ſcopulos, dolorumqve palantes præcipitia, potiuntur qvæ ſors obtulerit, ac patiuntur, plurimi autem dum in larvato hoece mari portum ſacro morſu appetere ſatagunt, vel naufragium inveniunt, vel ſorbentur à morte. Nusqvam homo poſt mortem durabiliora in mundo relinqvet veſtigia, qvam in pelago, ut ut præclaris meritis laudes ſuas ad ſempiternam propagaverit memoriam, niſi conceptam famæ gloriam ſuffulſerit, ampliaverit, atqve ſemper ſuperſtitem in plurium notitiam emiſerit poſteritas. Comparent itaqve alii cum his ac illis rebus vitam humanam, hic cum flore, ille cum fumo, cum tipula iſte, ego cum acceſſu maris & receſſu eandem mihi videor haud infeliciter poſſe comparare, cum in hoc mundi ludibundo theatro homines, non aliter ac mare ad littus, accedant & recedant ubi ſpumas pendunt plurimi, margaritas, proh dolor! pauciſſimi, acceſſum venerantur multi, receſſum æſtimant pauci. Auget qvandoqve [illegible]mimum huncce Poſterorum faſtus, Anteceſſorum conculcans merita, ut ipſimet eò conſpectiores appareant, ſuſpicantes ſtolidè tantum ſuæ demi gloriæ, qvantum addiderint alienæ, licet roboratis veteranis non rarò ſuccedant muſtei tyrones. Egomet in hoc mundi ſalo per annos non paucos jactatus, varios obſervavi hinc natantes, illinc demerſos, ipſe, gratiâ Numinis, hodienum ſuperſtes, diu etiam eſt, qvod me palladio ſuo ponto commiſerit thalaſſina Minerva labente nunc anno trigeſimo ſecundo, ex qvo ego publico admovebar primulum. Interea tot heic Othinlæ vidi hominum Inclytorum acceſſus & receſſus, ut ætatem ultra ſuſpicatus, ſeculi res in ſex hæc luſtra confluxiſſe jurarem, ſicubi meminerim, ne unicum qvidem Virum publicum, ſive in literario, ſive in politico ſtatu, eandem nunc apud nos, qvam tunc habuit, tueri provinciam, qvin

Digitized by Google

qvin potius à primo illo acceſſu meo ſuum qvisqve abſolverit receſſum, qvando me tangat ordo ille novit cui nihil abſconditum, ſed ut conſtet omnibus me Gymnicam palæſtram hancce Palladiam impenſius colere, qvòd locum mihi olim conceſſerit inter diſcentes commodiorem, hactenus inter docentes honeſtiorem, decrevi, ne inteſtatus moriar, HONORIS STATUAM GYMNASIO OTHINIENSI REGIO ERECTAM, FUNDATORUM AUCTORITATE, MUNERARIORUM BENIGNITATE, ET PROFESSORUM DIGNITATE illuminandam, publico ſiſtere, ut cognoſcant poſteri homines propter virtutem meritò laudari, & in virtute rectiſſimè gloriari.

Jure mihi nemo ſuccenſere poſſet ſi Patriæ dulciſſimæ laudes (cujus amori indulgere plenius, cuilibet non modò conceſſum eſt, ſed & conceſſum cum gloria, cum Pietatis elogio conceſſum) ore ebuccinarem pleniſſimo. Eſt enim hic verus pii in Patriam amoris genius, ut latere neſciat, licet undiqve obſitus, qvin, ignis ad inſtar, qvâ datâ occaſione, animoſius erumpat, nutriente potiſſimum hunc ignem materia dignißima laude, atqve talis mihi affatim occurreret, tergeminam luſtranti Patriam, ſive in aſpectum DANIAM producerem, Septentrionis coronam, ſive FIONIAM, corculum DANIÆ, ſive OTHINIAM, Fioniæ ocellum.

Eligitur REGNUM DANIA! jactabit actutum ſuam Antiqvitatem, ſuam Felicitatem, Regum Gloriam, cum ævo certantem, ſubditorum in religione Integritatem, Conſtantiam in fide, in Regem Obſeqvium, Commercium cum Muſis, ſingulorum in ſocios Manſvetudinem, Ferociam in hoſtes.

Perplacet INSULA FIONIA! miraberis Lect. hanc Oceani atqve terræ filiam, & qvaſi è mari Ægeo in balthicum commodum translatam Delon, ſibi circumjacentes, matremqve reſpicientes componentem Cyclades. Diis hominibusqve a-

Digitized by Google

manda Regio, felix & læta naturæ genio, si usqvam ulla, sed hostibus in tantum metuenda provincia, ipsorum vulneribus, cædibus, stragibusqve nobilitata jam pridem, in qvantùm est incolis gratissima frugibus, fructibus, aqvis, silvis, pascuis, pecudibus, venatu, piscatu, ubiqve residens, vera extra limites Palestinæ terra Canaan! lactis & mellis proventu tam largo affluens, ut butyri mulsiqve delicias, præter alia plura, heic qværant cupidius nationes aliæ, qvovis pretio redimendas, adeò ut heic longè felicius, qvàm aliubi, invenisset, qvô suam protraxisset senectam Pollio Romulus, qvem ætatis suæ centesimum excedentem annum, à Divo Augusto hospite interrogatum, qvânam maximè ratione vigorem illum animi corporisqve custodisset, respondisse è Plinio constat: intus mulsô, foris oleô. Innumera alia naturæ beneficia possidet FIONIA, soli poliqve post DEum adscribenda clementiæ, qvorum vel nuda recensio plurimas impleret paginas, illud profecto fileri non convenit, qvod nusqvam horrida, nullibi inculta jaceat, qvod ubiqve habitabilis & domibus qvasi contabulata, latiores non possideat, qvam colat terminos. Eeqvis crederet, qvæso, Provinciam minus in latitudinem, qvam recta regione spatiosam, decem milliaribus longam, bis qvatuor tantummodò latam, Oppida octo, Templa penè ducenta, Prædia 118, Rura 577, non habere solum, sed & gratô videnda exhibere spectaculô.

Arridet METROPOLIS OTTHINIA! ostentabit originem suam, ad Mercurium, sub nomine Othini, qvod divus Borrichius voluit, referendam, ostentabit in Choro Templa qvatuor elegantiora; suis monumentis, suis cippis scatentia, Gymnasium Regium, suis venerandum Professoribus, Consistorium honoratum, suis conspicuum Assessoribus, Episcopalem sedem, Præsule vigilantissimô nitentem, Scholam celebrem, suis Magistris, suis Collegis animatam, Communitatem

tem Regiam, docentibus discentibusqve proficuam. Ostentabit in Foro, Arcem Regiam, Præside suspiciendam illustri, Curiam provincialem, generosis tremendam Judicibus, Curiam urbicam, suis Consulibus, suis Senatoribus verendam, Nosocomium publicum, Morbonia detrimentis gravidum, Summa! Emporium heic habemus, commerciorum facilitate, ædificiorum concinnitate, hortorum amœnitate, aqvarum commoditate, loci salubritate, aëris temperie, civium copia, opificum solertia, &, qvod præponderat, eruditorum virorum freqventiâ, rarioribus annumerandum.

Addit & hoc ad laudes Othiniæ non spirhamam, sed ulnam, qvod Academia Hafniensis creverit felicius proxeneta Othino, dum hæc ipsa ad novum decus surgeret commodum dextra Glorioſissimi Danorum Regis CHRISTIANI III. sublevata, qvi anno priore post liminio revocatæ Academiæ hujus fundationem novam, atqve maximè proficuam Othiniæ anno 1539 die 10 Jun. sanctè constituit, & sua manu, suo sigillo clementer munivit. Anteverterat eqvidem hunc terminum annos sexaginta, primordiis suorum principiorum Regia illa Academia, qvod heic memorasse proderit, ut constet tanto Musarum theatro sua etiam è senio gloria, occupante tum temporis Regalem thronum CHRISTIANO I. profapiæ Oldenburgicæ fatore Magno, sed turbabant has cunas palladias sat graviter lemuria istæc feralia, qvibus cum diu satis luctabatur Dania, gradivi truculentiâ Martis, donec tandem Othiniæ, Potentissimus Rex CHRISTIANI nomine tertius, è lacertis conqvassatisqve tabulis navem redintegraret argonauticam, qvæ aureum vellus, inqvilinis proficuum & exteris, hactenus, ab eo tempore, sine metu naufragii vexit, vehitqve hodienum glorioſe. En abundantissimam laudandi materiam, & qvasi in classe tam liberaliter distributam, ut inde Scholam instruere, instructam aperire, apertamqve adornare oratoriam

Digitized by Google

toriam in proclivi esset, non unis sed centenis personiturum panegyricis, ni meos qvalescunqve conatus ad se, suis meritis polliceret GYMNASIUM OTHINIENSE REGIUM, non levi aut vano meam exploraturum pietatem documento, sed qvasi auditurum prius, qvid in ipsius gloriosam moliar memoriam, qvam decreverit, utrum plures mihi aut majores debere velit gratias, qvam illas, qvas hactenus, per annos centum, universis suis vel debuit vel exhibuit Magistris.

Qvod igitur felix, Faustum, & nunqvam intermoriturum sit, singulisqve de tam illustri Athenæo præclare promeritis gloriosam, sisto tibi L. B.

GYMNASIUM OTHINIENSE REGIUM, qvod commendat, non ex argilla, nedum è cespitibus, sed è coctili laterculo exstructa domus, gemino, eoqve sat eleganti distincta Auditorio, commendat Musis commodissimus situs, sua plagâ orientali campestria spectans, occidentali cœmiterium, ne desint nobis hinc mortis memoracula, illinc gratæ recreationis delinimenta. Commendat docentium diligentia, freqventia discentium, commendant qvotidiana exercitia, qvibus ad altiora qvæqve juniorum præparantur ingenia. En domum! non ita ædificatam, ceu spoponderat olim Romanus Architectus, ut libera sit à conspectu, immunis ab omnibus arbitris, in qvam nemo despicere posset, sed ad mentem M. L. Drusii ita compositam, ut qvicqvid agatur ibidem possit ab omnibus & audiri & perspici. Commendat Gymnasium auspicatus ortus, ipsoqve ortu suo haud infelicior progressus, licebit qvippe hoc intuenti attentius tres invenire ætates; infantiæ similem Pueritiam, Adolescentiam, Virilemqve ætatem, qvarum imaginem, in brevi qvasi tabella exhibitam, proponere decrevi compendiolè, ostensurus ut cœperit, ut adoleverit, ut ad statam ætatem nostrum hocce pervenerit GYMNASIUM.

Non hodie non heri, non nudius tertius apparere cœperunt

runt prima ipsius inchoati indicia & rudiora lineamenta, respiciendum erit ad seculum decimum sextum; atqve ab ipso in hocce Regno Lutheranæ religionis numerandum initio.

PUERITIÆ GYMNASII præfuerunt sex priores Theologiæ Lectores, qvorum erat suis immixto ignoscere crepundiis, ignoscant autem & mihi hi Viri beati, si de ipsis justo pauciora dixero, cum meam cætera effugerint diligentiam, ut ut in his conqvirendis satis sedulam. Extra detestandos cucullos liberius prospicere vix benè cœperat Dania, ad invisa crepidarum Pontificis oscula utiqve reversura nunqvam, cum Rex potentissimus CHRISTANUS III, eodem annô, qvô Academiæ Hafnienſi, tunc animam agenti, vitam reddere cœpisset, Othiniam in oculis habere dignatus est, nihil intentatum relicturus, qvo QVIRINALE istud AVE MARIA matutinum & vespertinum junioribus è lingua prorsus excuteret, senioribus sensim profuturus. Didicerat nuperrimè Dania, auspice Pomerano Doct. Johanne Bugenhagio, jugum excutere Vaticani Jovis, ridere fictarum Ceremoniarum ludibria, Indulgentiarum levitatem, Purgatorii terriculamenta, rigoratum Pontificis amplius non formidare Tribunal.

Nec mora, mittitur Othiniam Dn. PETRUS HÆRINGIUS anno seculi tricesimo octavo, qvi Theologiam, Apostolicâ repurgatam vanno, docturus publicé, inculcat frustra flagellari in plateis tergora, nudari suis carnibus ossa, ut ostententur pretio redimendæ vibices, frustra in terram sanctam imperari itinera, nudatis persultanda pedibus, frustra inani voto, ab esu carnium, ab usu linteaminum, abstineri, cum seria delictorum pœnitudine ductos mortales ab hac servitute arbitraria, in libertatem Christianam asseruerit Salvator. Ubi autem docendi pausam fecisset HÆRINGIUS, ipso sic jubente piæ memoriæ Rege, ab Antistite Canutiani cœnobii, Dn. Christierno Petri secundus heic Othiniæ consti-

tuitur

tuitur Theologiæ LECTOR NICOLAUS BRUNIUS, anno Christi 1539, cujus soli nomini perpercerunt dentes ævi justô mordaciores.

Mag. CHRISTOPHORUS GRALLIUS huic successor datus est, suis antecessoribus hodie haud magis cognobilis, nisi qvod anno 1552, à Viro Nobilissimo, Dn. Magist. Petro Parvo Rosæfontano, Equite Dano, & facultatis Philosphicæ in Academia Decano, Hafniæ crearetur Philosophiæ Magister tum, cum huic præesset provinciæ.

Signata à tribus Theologiæ Lectoribus vestigia firmavit plenius Dn. Mag. GEORGIUS SIMONIDES, ab anno 1563, ad annum laudati seculi septuagesimum secundum, qvô ad sanctum Pastorium officium in æde sacra, divo Albano Othiniæ dicata, vocatus est.

Post ipsum docuit hetc per annos aliquot Theologiam M. JANUS PAULINUS, prioribus si non famosior, attamen felicior accessione Parochiæ Aasumensis, qvâ, ceu grata Colonia à templo divi Albani Anno 1572 deducta, hic ipse latatus est, neque tamen in hoc suo immori voluit officio qvin potius idem cum Pastoritio Dalumensis & Sanderumensis Ecclesiæ commutaverit munere, in qvo obdormivit placide anno 1604, die 3 Decembr. anno ætatis suæ 80; Pietatem Viri ostendit hoc distichon, qvod sepulchrali suo incidi curaverit cippo.

Vivo tibi, moriorqve tibi, dulcissime JEsu!
Mortuus & vivus sum maneoqve tuus.

Ne autem vacuus maneret hinc abeuntis locus, successit huic Mag. JOHANNES LANGIUS, qvi ubi qvatuor ferme lustra his impendisset laboribus, maluit potius in templo Hornensi, Nomarchiæ Sallingensis, Concionatorem, qvam Othiniæ Lectorem agere diutius, dictâ igitur acceptaqve salute, illuc discessit anno 1592, in longitudinem autem bonum hunc LANGIUM prospexisse constat, dum Arithmeticam edidesit impressam Hafniæ anno 1576. Ita

Digitized by Google

Ita hæc se subducebat, media inter lallantem & loqventem, inter reptantem & euntem media PUERITIA, serperastrum, in qvo ad annum superioris seculi 23 numerando (Vid. infra) qvatuor ultra octoginta luserat annos, tandem relicturа.

Eundum nunc erat in ADOLESENTIAM, atqve in arena Musarum firmioribus incedendum gressibus, qvò luci uberius exponeretur hocce ex umbris aliqvando emersurum Lycéum.

Huic tam præclaro ausui illuxit stella benignior auspicato plenissima omine, anno 1621 die 18 Februar. tum, cum, sub primam sui constitutionem à Rege potentissimo CHRISTIANO IV, nomine COLLEGII donatum, suis primulum gloriari cœpit Professoribus. Latuit nihilominus post alias atqve alias morarum nebulas hoc Sidus, donec vel ruptis, vel discussis obstaculis omnibus, serenaretur nitidius anno 1623 dicatis ipsius, ut ita loqvar, INAUGURATIONI SOLENNI, diebus 15 & 16 Januarii, ad qvam Programmate sequenti invitabantur à Nobilissimo Domino OLIGERO ROSENKRANTZIO hospites qvìqve honoratiores.

DIRECTOR
GYMNASII CHRISTIANI
Omnibus doctæ Pietatis amatoribus
P. Salutem.

Currus & Cursus tui rotam heic paulisper suflamina, mi Philo-Christe, Philomuse! gaudium novum evangelizo, & te religiosa mentione convenio.

C Qvod

Qvod qvidem divino instinctu Pietas Christianissimi & Clementissimi Regis nostri CHRISTIANI IV, Potentissimi Regis Daniæ & Norvegiæ &c. GYMNASIUM religiosum juventuti literariæ destinavit, id, cum auspice Christo, ad diem 15 Januar. usibus sacratissimis, per verbum DEI, & preces piasq; publicæ solennitate in hoc Canutiano Templo dicatum ibimus. Et quia Palæstram hanc sapientiæ divinæ pariter & humanæ, in qua juventus e Scholis trivialibus delecta ad Academicam dignitatem præparabitur, sacratum iri publicus et, iam rumor docuit, qvantum in proximo siet gaudium, prorsus nescire neqvis. Ac ne ullo modo nescias, qvod vix nescire potes, huc prænotata die si gradum flectere, & huic sistere voles, ita grande hoc bonum concio te sacra docebit, ut nostrum hoc solidum gaudium nobiscum gaudere nullus detrectes, qvin potius illud in serias precea pro felici tantæ in nos bonitatis DEI auspicio & læto successu nobiscum devotis convertas. De cætero, qvid qvisqve circa hoc Phrontisterium scire & sentire, sibi suisqve imperare & polliceri habeas, ipsa Gymnasiastica Domus, una oratione latina XV. Januar. post concionem, & duabus XVI. Januar. ante meridiem propalam edissertabit. Interea devotam mentem & linguam Triuni DEO, Regi grata vota, Collegis & undeviginti discipulis, è pulvere Scholastico per districtum examen edecumatis, & in hanc liberioris auræ lucem transituendis, ardentes preces, qvisqve pro vestra pietate decernatis, & GYMNASIO honorem habeatis, impensè rogamus. Valete, & pari li Pietatis lege nos vobis obstrictos habete.

Actum Othoniæ 12 Januar. anno Christiano novo MDCXXIII.

Præluset elegantissimo huic actui Episcopus Vigilantissimus Dn. D. JOHANNES MICHAELIS, qvi laudi sibi duxit, habitâ eum in finem concione, die 15. Januar. historiam Cen-

turia-

Digitized by Google

turionis Capernaitici è Luce cap. 7 in templo D. Canuti explicans, turmatim affluentium undecunqve Auditorum animos ad festum præparare imminens, atque in tutelam Numinis novum insinuare COLLEGIUM. Inceptam adeò honoratâ fimbriâ telam pertexebat plenius die eodem Vir plurimum venerandus, S.S. Theologiæ ibidem Lector, Dn. Mag. JACOBUS VOLFIUS, catervatim advenientibus hospitibus, magnâqve intra auditorium deductis pompâ Regis Augustissimi Symbolum, REGNA FIRMAT PIETAS, è cathedra docte explicans & nervose, inter gratos organorum, cymbalorum, nabliorumque susurros.

Diem 16 Januar. per se satis illustrem, multò illustriorem reddiderunt bini professores Clarissimi Dn. Mag. SVENO PETRÆUS & Dn. Mag. CHRISTIANUS JANI, qvorum uterq; amaadâ facundiâ suâ delicatulas splendidissimorum Auditorum demulcebat aures, donec, qvæ adventantes exceperat, abeuntes dimitteret musica, fidibus & cantu personante aëre.

Ita tribus Professoribus commissa est per annos 16 hujus COLLEGII ADOLESCENTIA, sed evocatâ in socium auxilium Rectoris & Con-Rectoris operâ, qvorum ille linguam latinam, hic græcam & Hebræam, docere debuit. Postqvam autem perspectum fuisset plenius atqve exploratius cognitum his laboribus ferendis tres impares esse Professores, de qvarto adsciscendo cogitatum est penticulatius, qvò Scholasticas Rector & Con-Rector felicius moderarentur habenas, si modò extra trivium (sit venia verbo) nulla ipsos sufflaminaret remora. Imo hoc tam bene, tam prudenter pensitatum, erupit in actum feliciter anno 1639, die 17 May, qvô iteratâ (liceat ita latine loqvi) fundatione Regiâ communitum hocce Collegium, titulo GYMNASII REGII est insignitum, & novô Ethices ac Eloqventiæ adauctum Professore.

Litatum est heic egregiè nunqvam intermoriturae tam Augusti Regis Gloriæ, dum prospiceretur Dn. Professoribus immunitatibus novis, novisqve reditibus prioribus, superadditis, litatum est non minus studiosæ juventutis commodo, dum octonis qvatuor Professorum humeris tot imponerentur farcinæ, qvot alibi sustinent vel decem Viri robusti. Jussus est Primus Theologiam docere & Lingvam Hebræam, Secundus Auditores in Ethices ac Eloqventiæ admittere adytis, Tertius Lingvam Græcam, Arithmeticam & propositiones Euclidis proponere, Qvartus Logicam, Physicam ac Metaphysicam absolvere, Globum utrumqve, Theoriam Planetarum, Canonem triangulorum, doctrinam Ecclipsium præcessionisqve Æqvinoctiorum & Computum Ecclesiasticum inculcare, atqve ab hoc termino, adeò conspicuo, si numerare velimus ÆTATEM GYMNASII VIRILEM, ad hæc usqve exporrectam tempora, nè tantillum à verò aberrabimus, SENIUM & MORTEM DEUS avertat!

Verum non est qvod qvis suspicetur vel sponte vel casu REGIUM hoc surrexisse GYMNASIUM, sic crescunt ad steriles arborum sideratarum radices, flaccidi meliorum stirpium æmulatores, fungi, præpropero qvasi ostensuri ortu, qvam despecti sint, & qvam vilis sit eorundem indoles, longè majora qvippe atqve altioris indaginis omina non promittit modo sed spondet nobis maxima GYMNASII nostri

FUNDATORUM AUCTORITAS.

PAginam heic implet utramqve primus ubi qve suo merito, Deus Optim. Max. qvem opere hoc præfamur rectius, qvam Jovem cum Catone, hic pro ea, qva polleat Benevolentia, qva claret Providentia, hoc nostrum non tantum erexit, sed & benignè provexit GYMNASIUM, successu tam pro-

Digitized by Google

prosperô, ut alias qvascunqve officinas Eruditionis publicas, suorum Magistrorum, suorum alumnorum & numero copioso & felicitate invidenda provocare valeat. Non propono tibi heic B. L. ridiculum aliqvod insignis præstigiatoris simulacrum fucato superbiens Artificis lusu, cujus cervicem mobilem, oculos volubiles, brachia flexibilia, trusatiles pedes, ita moderantur clandestinæ fidiculæ, ut automato huic Mercurii alipedis impositam jurares personam. Non obtendo tibi Machinatoris alicujus per se assurgens pegma, & in sublime tacitè crescens tabulatum, astu tanto, ut aut dehiscant actutum, qvæ nuper cohærebant, aut coëant sua sponte, qvæ antea distabant, aut in se resideant, qvæ modo eminebant. Non conjicio te in stupprem machina Cosrois crystallina, fictæ Divinitatis documento fallaci, qvam ostentabat olim laudatus Persarum Rex, suis orbibus, suis sideribus coruscam, suo cœlo expiatam & aëre, suis nubibus madentem & imbribus, suo fulgure frementem ac tonitru, sed ludicris vel calcatis vel fastiditis, rebus divinis proximius, optimorum adumbro seminarium ingeniorum, summo suo dignissimum Conditore, Deo Opt. Max. igitur debet OTHINIA suum hocce Illustre GYMNASIUM, perpetua vernans Feracitate & huic & alteri profuturâ seculo, longo qvidem post se intervallo eqvum relinqvens Trojanum, cruento impallescentibus ministerio gravidum, sed Phæacum appositè comparandum Regioni, cujus fertilitatem amandam, qvòd maturis novi statim succederent fructibus, perpetuum autumnum salutavit Juvenalis.

REGI GLORIOSISSIMO CHRISTIANO Qvarto, proximè post Deum sui Fundamenta, sui stabilimenta debet hoc GYMNASIUM REGIUM, Hic multa prius de maximo sollicitæ Juniorum informationis usu præfatus clementer OTHINIENSE GYMNASIUM sanctè constituit anno 1621 die 19. Febr.

Digitized by Google

Febr. constitutum celeberrimis munivit Inspectore & Professoribus, & horum sustentationi redditibus succurrit munificè, dignum tanto Rege factum, satis præclarum, inserendum annalibus, nec voluit solummodo circa novum rudetum aureo imbre semel occupari hic Jupiter, sed é throno Regali huc semper direxit Gratiæ pleniſſimos obtutus, imò post annos octodecim à primo satu, suum hoc GYNNASIUM novæ curæ iteratò refinxit plenius anno 1639. die 17 Maji ELOQVENTIÆ Professorem prioribus superaddens, natumqve è cerebro suo Palladium perpetim sat providè fovens. Urinam è tanti Trajani oceano munificentiæ, gratiarum pleniſſimo undis, venam dicendi æqve haurire liceret, ac licet beneficiis! digna Majestas Cui, ceu nihil in vita nisi immortale agenti, terram levem, æternamqve apprecemur memoriam.

REGI SERENISSIMO FRIDERICO III. nunqvam intermorituras debemus gratias, Cui non minus gloriolum fuit GYMNASIUM nostrum pacis & belli statumінare tempore, qvam Patri Maximo funditare. Hic Pietatis ardore, Justitiæ amore, sanctimoniâ legum, dignâ leone Fortitudine animi, Rege dignissima Magnificentia, Diisqve simillima Prudentia, Optimi Regis expressa Idea, qvi nihil in Altissima sua exhibebat Fortuna, qvod non miseris æqvè ac felicibus prodesset, qvi nunqvam destitit magna conantibus brabea proponere, & benè promeritis decernere præmia. Dignissimam Regem! qvem non nostri modo, sed & venturi seculi venerantur fasti! at mortalem fuisse Regem tantum, & vidit DANIA, & meritò luxit, qvem vivum demirata est Europa, obstupuit Orbis & obstupescent Posteri, Tanti Regis Facta, Pugnas, Triumphos audientes & legentes.

REGUM INVICTISSIMUS CHRISTIANUS V. generis humani Amor & Deliciæ, natus in Coronæ gloriam, qvam ab Augustissimo Parente per manus traditam ad Posteros transmisit

misit Hæreditariam, in bello Strenuus, in pace Prudens; ubiqve Pius, Justus, Fortis, Constans fuit adeò, ut coelo Majorem, uno Deo Minorem, vix mortalem exstitisse, crederemus, nisi Regiis tantæ Animæ exuviis lacrymas dare coacti fuissemus, qvi obseqvia Viventi debuimus. At nulla seculorum decade finiremus Tantum Regem plorandi necessitatem, perituris una cum voce lacrimarum solatiis, ni è sacris hisce cineribus novus prodiisset Phœnix, Divorum inferendus adytis, Princeps omnis ævi Maximus.

REX noster CLEMENTISSIMUS FRIDERICUS IV., qvo nihil potentius vidit Septentrio, Hic bello Invictus, Victoria Mitis, Pace justus, ita Suis sceptris subditos regit, ita Suis armis hostes terret, heic Fortis, illic Clemens, ut nil Ipsi magis qvàm æternam famam optemus! Summo huic Daniæ & Norvegiæ Monarchæ. Fortuna multa, Mars plura, Minerva plurima debet, imò ad pedes Potentissimi hujus Monarchæ submissus provolutum, unà cum Professoribus suis GYMNASIUM OTHINIENSE, Tanto Statori, suam suorumqve conservatam salutem, post Deum, adscribit unice, cum enim ruinam & interitum aliqvoties minati fuissent GYMNASIO clandestini insidiatores, evulsuri unà cum foribus postes, & cum tecto unà subruturi fundamenta, ni ab æqvis & rectius judicantibus auspicato debellati fuissent arbitris, discussit Suæ gratiæ lumine istas invidiæ nebulas lucidissimus hic Daniæ Phœbus & claram reducens meridiem, Suum inconcussum esse voluit GYMNASIUM, comprobaturus scilicet Se pro Bono publico stare vigilantius, qvàm ut Ipsemet, Avitis Paternisqve familiarissimus virtutibus, illud infirmaret, à qvo tam praclarè meriti fuerant Majores Sui, omnibus belli ac togæ dotibus, ingeniiqve ac studiorum Eminentissimi Reges, VIVAT, vovemus qvam diutissime! qvam felicissime vovemus, VIVAT! nec redeat in cassum, cui Ipsum debemus, nisi annis gravis, & gloria satur.

Osten-

Oſtendi tibi hactenus Lect. B. PALLADIUM OTHINIENSE, qvaſi cœlitus demiſſum Idolum, ſed ipſiſſimam PALLADEM vidiſti nondum. Hæc in ſcenam prodire adhuc dum non potuit, per hominum ora magnifice inceſſura anteqvam ſiparium, qvo tegebatur, latenter complicaſſet blanda

MUNERARIORUM BENIGNITAS.

EVocandus erat in auxilium non Lemnius iſte VULCANUS, gentium omnium terror & malleus, qvi prævalido ſuæ ſecunis ictu eandem e cerebro Jovis prolectaverat olim, ſed Danicæ Nobilitatis flos & decus, ROSENCRANTZIUS elegans liberalium ſtudiorum, omnisqve doctrinæ & cultor & admirator, Cui benefacere ex conſvetudine in naturam verſum erat, nec lentius paſſus eſt ſe exorari HEROS ILLUSTRIS, Virtute, Eruditione & Genere Nobiliſſimus Dn. OLIGERUS ROSENKRANTZIUS, qvin re ipſa comprobaverit actutum ſe præclari hujus moliminis facem fuiſſe potiorem ac tubam. Nactus itaqve hoic inæſtimabile momentum occaſionis ſuam oſtendendi Liberalitatem, nullum Benevolentiæ omiſit genus, qvô novum vel adaugere poterat vel adornare Prytaneum, utqve erat excellens opibus, ita non divitiis locupletior fuit qvam animo, monſtraturus ubiqve, commune qvaſi egenorum Patrimonium eſſe, qvicqvid poſſidebat ROSENKRANTZIUS. Hinc noſtro GYMNASIO thaleros imperiales mille largitus eſt, ſicut alibi ſeptem mille qvingentos & qvinqvaginta, piis conſecravit uſibus. Pereat nunqvam Tanti Mœcenatis cedro dignißimum Nomen, nec marceſcant unqvam Generoſiſſimo Patre, Avo, Proavo, Abavo, Atavo, Tritavoqve dignißimorum Poſterorum ſvaveolentes ROSÆ.

Hoc tam laudabili animata exemplo Heroina Nobiliſſima ILLI-

ELLINA MARSVINIA, priori æqvalem superaddidit pecuniæ summam, non ad privatam voluptatem, sed ad salutem publicam, Ostensura, bonis insitum esse mentibus, ut qvæ copiosè ex aliis optent, ea ipsæmet munificè deferant. Floreant largissimæ Donatricis cineres & svavius qviescant! Excitavit etiam similis Magnificentia, grande, cùm Pharmaciæ, tum hujus Urbis columen, CHRISTOPHORUM VONDER HAMSFORT, ut decies centenis imperialibus nostrum qvoqve donaret GYMNASIUM, existimans scilicet, illum Viri primarii indignum titulô, qvi vel anxio animo, vel avara manu, modica sibi à fortuna dispensat bona. Lætetur Divus hicce inter Angelorum jubila & beatorum tripudia.

Signatis tam glorioſe in hac arena vestigiis inhæserunt alii, utut dispari gressu. Cumqve non tantum Jure-Consultis ob tutamen, sed & Medicis ob solatium, honorem deberi cognovisset Vir Experientissimus Dn. D. ESCHILLUS CHRISTIERNI, Medicus urbicus, haud contentus fuit corporibus mortalium impendendâ curâ, nisi & animis Juniorum suis nummis prospexisset simul, unde qvoqve huic PALÆSTRÆ UNCIALES TRECENTOS legavit grandævus Senex. Reqviescat in pace Podalirius noster, nec pereat memoratu digna ipsis memoria!

Pari fervore huc Symbolam suam DUCENTIS MAXIMILIANIS comitatam præclarè contulit Auratus Eqves Strenuissimus GEORGIUS BRAHÆUS, Regni Senator Nobilissimus, testaturus ne heic qvidem occlusos fuisse benignitatis suæ fontes irriguos. Vagetur in sermone omnium tanti Herois meritissima Gloria.

Neqve suis immori voluit bracteatis nummis, multiplici inclytus experientia Dn. D. OLAUS JACOBÆUS, Practicus Gothiensis felicissimus, qvin potius surgenti huic Athenæo ducentis succurrerit FERDINANDIS, benè sit niveæ Celeber-

berrimi Machaonis animulæ, volitetqve per orbem ejus fama, nullo unqvam tempore peritura. Desiderari qvoqve noluit sociam suam Beneficentiam Matrona honestissima MARIA BANGIA, Senatoris Othinienſium graviſſimi JOHANNIS BRUNII relicta vidua, nec mori voluit, anteqvam locupletari GYMNASIUM juberet DUCENTIS RUDOLPHIS. Sit ejus memoria immortalis, neu sentiat unqvam secutura progenies triſtiorem adverſæ Fortunæ cariem.

Inſeruit & his ſuum caput Vir Nobiliſſimus PETRUS LERCKE, uti nec prætereundus erit Vir prudentiſſimus HENRICUS TORCHILLI, qvorum & ille, & hic JOACHIMICIS CENTUM ſublevavit GYMNASIUM, fiat horum utriqve terra levis & mollior urna!

En ſplendidum tam Magnificentiæ, qvam Munificentiæ, Candidatorum Catalogum! deſinat nunc Valerius Maximus ſuum collaudare Agrigentinum Gilliam, qvod inopia laborantibus alimenta dederit, dotes virginibus paupertate preſſis deſtinaverit, detrimentorum incurſu qvaſſatis ſolatia erogaverit, cum heic habuerimus Othiniæ, præ qvibus Gillias nullus eſt, veriſſima ipſius Liberalitatis præcordia.

Sed qvid Vobis referam, beati Evergetæ, pro ſumma Veſtra in nos beneficentia? Sordet Vobis immolatio, fœtet libatio, hecatombe Vobis diſplicet, nec perplacet chiliombe, etiamſi vel omnes huc convocavero cultrarios, victimarios, popas & agones. Netas tamen eſſet tanta Veſtra illaudata dimittere congiaria, qvæ publicum nondum retulerunt fortaſſe præconium, ego Veſtram, ô millies Veneranda Capita, Memoriam, vindicatam hodie ab oblivione, æternitati conſecro, ob perennantia beneficia Veſtra, alumnorum noſtrorum innumeris hactenus exhibita, exhibenda deinceps infinitis, Veſtrosque floribus ſpargo tumulos, perituris nunquam, donec horti Gratiarum immortales eſſe deſierint.

Ex.

Digitized by Google

Exstructum pulcherrime jam vidisti GYMNASIUM L. B. suisque stipendiis belliſſime instructum, desiderari videntur Alumni subsellia occupaturi, ut habitet ibidem commodius Minerva, atqve hi à primo statim inchoati Lycei initio, usqve ad hunc diem, tam catervatim advolarunt, ut difficilem sæpius reddiderint januam. Neqve huc confluxit fex gentis aut amurca, sed flos juventæ ac delicium, ut ut surrepserint interdum inter palæstritas pusiones. Nominabuntur, si tibi placuerit B. L., bini Juvenes elegantiſſimi, qvi omnium primi scamna discentium heic calefecerunt. Thomas Bangius & Laurentius Jacobæus, uterqve tandem factus est Doctor Theologiæ, atqve hic Fionensis Episcopus, ille Hafnienſis Theologus. Calcaverunt ab eo tempore, assiduis hæc limina vestigiis aliqvot milleni discentium pedes, qvorum non pauci auras postea circinarunt glorioſe. Novimus qvos ab hoc foro nostro Regiâ evocavit aula, sibi à Consiliis, sibi à Secretis futuros. Vidimus heic qvos Theologia, qvos Medicina suprema nobilitavit doctorali lauru, qvem Themis utriusqve juris licentia adornavit vidimus, Philosophia e nostris alios Baccalaureos, alios Magistros creavit, Academiæ Hafnienſi Professores commodavimus, commodavimus & Professores ipsiſſimo GYMNASIO, Eccleſia invenit heic Episcopos, Præpositos plurimos, Pastores infinitos, Scholis dedimus Rectores, Con-Rectores consecravimus & Collegas, Consules, Senatores, Prætores sibi hinc impetravit Politia, imò ne Marti qvidem suos denegavimus pullos & pugiles, adeò nullum honoratius vitæ genus est, qvod non nostros ambivit, nostros recepit colonos.

Sic sistit se erudito Orbi, sine larva, sine fuco OTHINIENSIUM PALLAS, cujus Capiti Cassidem imposuerunt Purpurati Fundatores, ortum suspiciendum testaturam Viraginis, cujus Dextræ Hastam inseruerunt Nummati Muneratores,

res, raptum repulsuram & eoedem, qvod restat, nunc Brachio super extendendum Scutum Crystallinum, capite Gorgonis, angvibus crinito, expictum, adumbrabit plenius non temnenda

Professorum Dignitas.

Qvibus incumbit prolem Minervæ instruere, sed anteqvam hanc arcem, qvod dicitur, invasero, descendendum mihi erit infra tumulos, sollicitandi manes, pulsanda sepulchra, excutiendi loculi, at, at vix genibus tenus mersus in terram, videor mihi audire tot Cana Capita, uno qvasi ore dicentia: qvis ibi? qvis iste? qvi nostras inqvietat exuvias, qvi noctem turbare audet dormiendam perpetuo, nostramqve temerare qvietem, à superis indultam, nec denegatam ab inferis! desinas nos obtundere, tuqve nos tuis ne interpelles! verum His ego: qviescite, qviescite! Vester adsum, Virorum Religiosissimi, Cœlum, cui pias inseruistis animas, compellare non ausus fui, nolite ergo interpretari obliqvius, qvod in Vestris Vos hodie expergefaciam monumentis, haud qvidem in vana ludibria, his qvippe Vestra Vos sors eximit, nec qvum in novam necem, persolvistis qvippe jam dudum naturæ debitum, sed ut tantorum Anteceſſorum jam pridem ignorata cœpta merita in lucem aspectumqve proferam, & Vobismet qvasi præsentibus, Orbi literato demonstrem, qvantum debeat Vobis hodienum, etiam post tot annos, GYMNASIUM. Ignoscite autem mihi, Collegæ beatissimi, si Vestrum unum, qvemqve eum in locum aut ordinem non reposuero, qvem imperat ipsius vel Titulorum, vel Meritorum gloria, componet, me interprete, hanc litem constitutio GYMNASII REGIA, nec displiceat unicuiqve, spero, si modo juxta seriem suæ recenseatur Professionis. Nostrorum

Theo-

Theologorum

Primipilaris esto, Vir admodum Reverendus & Clarissimus Dn. Mag. JACOBUS WOLFIUS, qvem cum Othiniæ anno 1554, die 24 Aug. ex uxore sua susceptisset Pater cognominis, faber ærarius, crescente prō modulo ætatis ingenio, Musis heic enutriendum dedit, donec anno 1572 Scholam Othinienſem cum Ripensi mutaret, sub vexillis ejusdem Rectoris, Clarissimi Dn. PETRI HEGELUNDII militaturus ibidem. Inde Slesvicum abiit, ubi Viro Excellentissimo, Dn. Doct. Paulo Eitzenio domesticum dedit & amanuensem. Tandem Hafniæ factus civis Academicus, maximam invenit apud Magnificum Cancellarium, Nicolaum Kaasium, gratiam, qvi Wolfium non modo suis tectis benigne recepit, receptumqve per sesqviannum fovit clementer, sed etiam rectura Scholæ Ringstadiensis in Selandia ultro admovit anno 1583. Proximè seqventi anno Anslogæ in Norvegia (incolis Opslo) Rector Scholæ constitutus est, atqve Canonicus. Verum ubi 1593 Magistri Philosophiæ titulum obtinuisset Hafniæ, à Viro annis & eruditione stupendo, Dn. D. THOMA FINCKIO, laudatum Heroem in sui favorem iterum evigilasse, sentiens, Othiniam missus est, Theologiam heic docturus. Sic matrem fortunam habuit sæpius Clarissimus WOLFIUS, expertus est tamen aliqvoties eandem novercam, cum disceret qvater esse maritus, nihilominus in trium splendidarum gloriam Familiarum iteratis influxit connubiis, Dn. Mag. Johannis Nicolai, Episcopi Anslogensis, Dn. Mag. Ivari Bartholini, Præsidis Ringstadiensis, Dn. Mag. Petri Paulini, Lectoris Roschildensis. Consenuit apud nos laudatus Lector, ubi duos & qvadraginta Theologiam fideliter docuit annos, sed nori heic ipsum in nido noluerunt Parcæ grandævum in via opprimentes senem, inter Slagloſiam & Crucisoram, cum Hafn-

Hafniâ redux Othiniam tenderet anno 1635 die 31 May, anno ætatis 31.

Succeſſit huic in officio Vir plurimum Venerandus & Clariſſimus, Dn. Mag. JOHANNIS PAULI WINDINGIUS, qvi, natus Windingæ in Selandia anno 1609, die 1 Aug. Patrem habuit Virum Celeberrimum, Dn. Magiſtr. Paulum Jani Coldingium, tum temporis Eccleſiæ illius Paſtorem, & Nomarchiæ Flackebiergenſis Præpoſitum meritiſſimum, poſtea Scholæ Herlovianæ Præſidem, ejusdem Eccleſiæ Paſtorem digniſſimum, Matrem primariam Matronam, Johannam Petræam Malmogienſem. Poſtqvam Herlufholmiam coloniam deduxiſſet Coldingius, nihil ipſi in votis erat prius, antiqvius nihil, qvam ut iis artibus imbueretur Patre ſuo digniſſimus Filiolus, qvibus ad humanitatem informantur juniores. Scholæ itaqve publicæ traditus WINDINGIUS, ſeptennium adeo diligenter ibidem abſolvit, ut anno 1626, die 18 Octobr. dignus judicatus ſit, qvi municeps Academicus ſuô merito fieret. Heic nihil eorum omiſit WINDINGIUS, qvæ in regno literato magna æſtimantur, ſed per totum triennium ſolidiorem in Theologia Lingvisqve Orientalibus cognitionem arripuit ſedulitate tantâ, ut extra cenſoriam notam poſitus, in Germania, Hollandia, Anglia & Polonia per ſexennium laudem ubiqve invenerit. Reverſus in Patriam, juſſus eſt à Magnifico Dno. Cancellario, Dno. Chriſtiano Friſio, examini Ampliſſimorum Hafnienſium ſe ſiſtere Profeſſorum, cumqve ipſum die 5 Novembr. anni 1635, poſt infinitos ultro citroqve ſermones habitos, dignum judicaſſent, qvem laudabili & honorato ornarent teſtimonio, brabei loco retulit, proximo die, qvi 6 Novembr. erat, à dextra Cancellirii. LECTORATUM OTHINIENSEM, & poſtea anno 1637 die 16 May, à manu ſpectabilis Decani, Dn. M. WULFGANGI RHUMANNI, ſummos in Philoſophia honores. En digniſſimum

simum nostro GYMNASIO THEOLOGUM! cujus orthodoxâ in Divinis facundia, & consummatâ in Lingvis Orientalibus eruditione, nostrum per annos viginti aliqvot millenis vicibus personuit Auditorium. Utinam & scripta illa politula, qvæ publico destinaverat, lucem vidissent, potissimum accurata ipsius Bibliorum versio, publicum profecto meruissent applausum. Noluit autem cœlibem vitam affectatâ qvadam castitate colere WINDINGIUS, ideoqve de socia vitæ adsciscenda sollicitus, Matronam honestissimam anno 1636 ambivit & exambivit Catharinam Johannis Filiam, Viduam Prudentissimi Viri, Petri Erasmi, hæc ipsum qvatuor filiorum Parentem fecit, è qvibus natu maximum, Dn. Petrum Windingium Collegii Cancellariæ Assessorem, J. U. Licentiatum consulcissimum novimus omnes, sed qvod præclaro huic filio accidisse lugemus, ut in flore ætatis exstingveretur, id optimo ejus Patri & contigisse dolemus anno 1655 die 21 Junii, tum, cum, anno ætatis 46 terram relinqvens cœlum repeteret. Mortem beati hujus Viri seqvebantur hominum timor, Auditorii trepidatio, Gymnasii confusio, in arcto salutis exitiqve versantis confinio. DEI vero providentia factum est, ut Cathedram Theologicam, cujus ruinam timuerant omnes, ne commotam qvidem senserit aliqvis, cum alteri huic Eliæ, novus substitueretur Elisæus, surgens ex hoc ipso Celeberrimorum Professorum choro.

Vir Religiosissimus Clarissimusqve Dn. M. GEORGIUS GEORGII FALSTERUS, Hic, natus Stubbecopingæ in Falstria, anno 1601, die 28 May, Patrem suum Georgium Nicolai, antea civem urbis, tunc incolam cœli, vidit nunqvam, cum novem septimanas anteqvam nascereţur filius, obiisset Pater, ipsius Matri, Catharinæ Petræ, vix unicum annum peperisse Parcæ. Manfit hic Orphanus sub Avi tutela paterni, in urbe & Schola Patria in usqve annum 1611, qvo Hafniam

niam missus, ingeniosus magis qvam pecuniosus, publici literarii ludi commissus est Moderatoribus. Hos audiens septennium integrum maturuit ita, ut anno 1619 Academiæ qvasi per manus traderetur, ubi in Collegio Valckendorfiano, Musis assiduè litans, biennium exegit. Anno 1621 qvô primam in Philosophia reportavit lauream, Fauburgum missus est, ut cœtum Scholasticum, qvantumvis pusillum, ibidem regeret. Docendi laboribus sesqviannum assvetus, Scholæ Asnensi præfectus, ad cujus clavum tres annos sedebat pervigil. Hinc anno 1625 abiit Wittebergam, Heroinæ Nobilissimæ Ellinæ Marsvinæ sublevatus munificentiâ, ubi Theologiam & Philosophiam excoluit strenuè, donec ipsum retraheret inde Scholæ Othinienſis Conrectura anno 1628. cui laudabili nisu triennium impendit, redimitus interea suprema lauru Philosophica die 22 Jul. 1630. Decuit ibi dexteritate tanta, ut vacantem Rectoram ad se sua merito pelliceret, anno 1632 die 6 Nov. cum autem anno 1636 desideraretur hoc in Gymnasio Philosophus, accersitus est huc è Schola magnus hicce Magister, qvi tanta sedulitate hoc penſum annos 19 absolvit, ut Archimedem provocasse videretur. Sustentaverat se hactenus alienâ qvadrâ FALSTERUS; nunc propriæ demum prospiciendum erat, ideoqve sociam sibi junxit Virginem castissimam, Barbaram Muleniam, filiam Viri Clarissimi Dn. Mag. Nicolai Mulenii, è qva filios 4, totidemqve filias suscepit. Ne autem qvis suspicetur, Virum acutissimum, Philosophicis tam diu innutritum, vanâ, qvod dissuadet Apostolus, deceptum fuisse Philosophia, voluerunt & vires ipsius in Theologicis experiri Superi, qvas labore indefesso & pio ostendit zelo à die 20 Jul. 1655, qvô Theologiæ & Hebraeæ Lingvæ Professioni sacramentum dixit, adusqve diem 26 Novembr. anni 1663, qvô, abeunte in hyemem feralem sexagesima secunda ætatis æstate, GYMNASIO se subduxit, inserendus Olympo. Heu,

Digitized by Google

Heu novus heiç iterùm, poſt octo fermè annorum inducias, deſiderabatur Theologus! ſed paucos modo deſiderabatur menſes, mirari profectò licet promptiſſimum Philoſophiæ noſtræ in Theologiam obſeqvium, qvæ pellecta, alterum denuò Candidatum obtulit, nec mora, exuens Philoſophum, Theologum induens ſanctiore habitu fulſit in hac Palæſtra Vir Nobiliſſimus Dn. Doct. JACOBUS BIRCHERODIUS. Hic natus Varburgi in Hallandia anno 1624, die 30 Septembr. Philoſophiam & Mathemata nervoſè profiteri heic cœpit anno 1655 die 8 Octobr. Theologiam & ſanctam Lingvam docere aggreſſus eſt anno 1663 die 2 Martii, & docuit ſobriè, abſolutiſſimè docuit, donec qvatuor annos ſexagenario Major, in vivis eſſe deſineret anno 1688 die 13 Junii. Dum Te habuimus, Beatiſſime BIRCHERODI, nemo Auditorum neceſſe habuit longinqvum Sinai ſollicitare deſertum, ut deciduam ibidem colligeret mannam, cum nata in labiis Tuis ſtillaret affatim, qvoties os tuum aperuiſti mellitiſſimum, viam paſſurus, qvâ itur ad aſtra. Prolixius nunc me diffunderem in laudes Divi D. BIRCHERODII, à cujus ore biennium heic pependi, niſi Tanto Viro juſta heic publicè perſolviſſet magnus noſtræ Fioniæ Tullius D. GEORGIUS HANNÆUS, oratione parentali, qvam tunc audiverunt multi, legunt hodie plures.

Vacua ne poſt mortem BIRCHERODII maneret Cathedra Theologica, ſucceſſit Vir Clariſſimus Mag. CANUTUS LANDORPHIUS, ab anno 1684 huic ſpartæ deſignatus. Hic, anno 1649 die 17 Sept. ex nobili & honeſtiſſimo prognatus toro, qvem Othiniæ ſociaverant Johannes Broderi, Templorum & ſacrarum ædium per Fioniæ diœceſin Curator qvondam ſolertiſſimus & Medea Wilhelmi filia, pietatis & probitatis nomine notiſſima fœmina, jactis intra privatos parietes fundamentis, cancellis Scholaſticis inſertus eſt anno 1664, auſpi-

ciis qvidem felicibus adeò, ut anno 1666, cum gratulatione & applausu, GYMNASTICIS his initiatus sit sacris, hospitem ultrò excipientibus, & anno seqventi inter novos Hafniam deductus colonos. Civitati Academicæ adscriptus, toto biennio studia Philosophica & Theologica absolvit, Apollineam inde referens lauream, qvâ redimitus domum redux familiam Parentibus destitutam tam provide & prudenter rexit, ut ex fratre Patrem factum jurares. Has inter curas delituit per aliqvod tempus, sed inter Camænas simul & amœniorum scientiarum Charites, Theologiæ & Lingvæ sanctæ studio indesinenter incumbens ad annum 1684, qvo LANDORPHIUM in stationem vita & meritis condignam collocandum clementer voluit Rex Serenissimus, nec convenientiorem sibi suisqve studiis invenire potuit, qvàm in Regio Othinensi GYMNASIO Theologiæ & Lingvæ sanctæ Professionem, vergente tunc ad senium & mortem Divo BIRCHERODIO. Hafniam itaqve profectus, publicis se sistit velitationibus probandum, ubi dignus judicatus est, qvem summis in Philosophia honoribus decoraret alma Mater, hoc auctior titulo domum rediens, inter sacras & literarias occupationes suprema Antecessoris sui non tam optabat fata, qvàm patienter exspectabat ad annum 1688, qvi BIRCHERODIO fuit emortualis, cujus unicam filiam, BIRGITTAM BIRCHERODIAM, qvam ex priori connubio, cum Wilhelmo Jani Rosenvingio, gravissimo qvondam hujus urbis Consule, deprehendebat viduam, sibi jugalis tori sociam eôdem anno junxit. Non est eqvidem mearum partium, tuo, Beate LANDORPHI, qvem feroæger rime, parentare obitui, egit enim has partes elegantissime die 18 Septembr. 1711 magnus dicendi Magister Thomas Bircherodius, facundiâ tantâ, ut ipsissimum provocaret Tertullum, nihilò tamen secius ore non dubito hoc affirmare rotundo, commendabant LANDORPHIUM, præter alia, pro-

bitas

bitas & candor, raræ profecto, hâc tempestate & maximæ in Theologo Virtutes, per integros tres & viginti annos ejus ore magnalia sua locutus est DEUS, qvoties Theologiam heic professus est fructuosè, nec extra Judæam docuit qvisqvam felicius ipso Lingvam Hebræam, qvocirca magnam in morte LANDORPHII jacturam Eruditionis, Candoris maximam, patiebatur GYMNASIUM anno 1711 die 9 Septembr., qvo vitæ suæ pie exactæ terminum explevit, & sopore qvasi abreptus mortalitatem placide exuit, æternùm beatus LANDORPHIUS.

Affini Divi nostri & Successori dignissimo, Viro plurimum Reverendo & Clarissimo, Dn. Mag. ELIÆ NAURIO, qvantum debeat publicum, ex qvo anno 1711 die 20 Octobr. huic spartæ admotus est, novimus omnes, & plura debebit propediem. Hic studiorum Juvenilium meorum felicissimus fuit moderator, cumqve nemo sit Informatorum meorum, à cujus ore diutius pependi, qvàm à Gravissimi NAURII, ingenuum esse existimo, fateri, maxime qvoqve per ipsum me profeciſſe. Vivat, voveo, Clarissimus NAURIUS aptus ad docendum rudiores, natus ad succurrendum egenis, nec in cœlum transferatur, qvadrigis Eliæ subvectus molliter, anteqvam rerum humanarum compleverit sortem, diutissime simul & felicissime.

Ethices & Eloqventiæ Professionem

Regio GYMNASIO primus intulit Vir clarissimus, Dn. Magister GEORGIUS TAULOVIUS. Filiolum hunc peperit Marito suo religiosissimo, Dn. Bartholo Ivari, Pastori & Præposito venerando, Matrona Pudicissima, Elina Georgii, Tauloviæ in Cimbria anno 1606 die 6 April, Musis præbebatur sensim lactandus Tauloviolus Mittelfardi, Coldingæ,

Digitized by Google

gæ, Roſchildiæ, unde Academiam procari auſus eſt anno 1625 die 6 May. Poſt moram in Academia biennem laudabiliter exactam, repetiit ipſum Schola Coldingenſis, anno 1627 die 6 April: munus Pædagogi offerens, ſed obſtitit hoſtilis truculentia, qvominus ibidem ſubſiſteret diutius, ideòqve incendio Bellonæ totâ conflagrante Cimbria, repetens Hafniam, inter abeundum, iniqvis recularum excuſſoribus ſuarum, tributi loco, bis pendere coactus eſt, qvicqvid levidenſe posſidebat marſupium. Annô ſeculi viceſimo octavo ambivit ipſum Schola Roſchildenſis, proxeneta Rectore Clariſſ. Dn. Mag. JOHANNE VON HAM, dotisqve vice detulit mox qvartæ inde qvintæ claſis præſidatum. Hoic integrum triennium juventutem docuit felicitate tanta, ut diligentiam ipſius ſuo ſtipendio remunerarentur Capitulares, qvô ditatus in Hollandiam abiit anno 1631. die 3. Junii. Verum vix annuum ibidem commorandi ſpatium indulſit adverſa valetudo, cujus fermè exenteratus ſævitia, domum rediit, Roſtochium iturus. Hoc molienti Recturam Scholæ Neoburgenſis obtulit Epiſcopus Vigilantiſſimus Dn. Doct. Johannes Michaëlis, qvam inſperatiſſimè occurrentem provinciam in ſe recepit die 29 Maji anni 1632. Qvantâ in hac arena ſudaverit Famâ TAULOVIUS, vel ex hoc ipſo dignoſcitur facillimè, qvod hinc noſtrum, præ omnibus, evocaverit Generoſiſſimus Danici Regni Senator, Magnus Kaas, conſangvinei ſui, Nobiliſſ: Nicolai Windii ſtudia moderaturum & itinera. Sic prymneſium anno 1633., die 22. Auguſti ſolvens novus ephorus, commiſſum tutelæ ſuæ WINDIUM, qvâ par erat curâ, per Hollandiam, Angliam; Galliam, Helvetiam, Italiamqve duxit, & poſt peregrinationem qvinqvennem auſpicatò reduxit. Vix penulam depoſuerat TAULOVIUS, anteqvam ſtolâ Con-Rectoris ipſum indueret Schola Othinienſis anno 1638. die 1. Maji. Cumqve anni proximè

proximè seqventis die 19 Maji Magisterii Philosophici ornatus esset corollis, abdicata die 15 Julii Con-Rectura, primus Ethices & Eloqventiæ in Regio hocce GYMNASIO aperturus fores, Cathedram die 23 Julii primordiali animavit oratione. Sic ascenderat nuperus hic Oratoriæ promus condus ab infimis honoribus ad medioxumos, ab his ad superiores, inde ad summos, semper alacris & spe plenus, nunqvam fractus, nisi qvoties dolendi materiam præberet thalamus, qvem gratâ conjuge qvater beatum viderat, ter viduatum luxerat. Primas celebrabat nuptias anno 1639. die 3. Novembr. cum vidua Consulis Othinienſis, Catharina Wilhelmi filia, die 14. Augusti 1651. exstincta. Transiit ad secundas anno 1652. die 10. Octobr. cum virgine pudicissima, Margareta Wolffia, Dn. Jeremiæ Wolffii, arcis Coldingensis actuarii Regii, filia. Ascendit ad tertias anno 1657. die 5 April. nuptias cum Vidua Lectoris Othinienſis Catharina Brunia, die 26. Novembr. 1662. exstincta. Qvarta vice novo inardescens amore conjugali, duxit anno 1664. die 6. Januar. uxorem Nobiliss. Elisam Muleniam, Senatoris Othinienſis, Hermanni Hannæi relictam viduam, marito eqvidem utriqve suo supervivente, sed anno 1687. die 20. Februar. caduca cum æternis mutantem gaudiis. Longum foret ire per singula, & universa Celeberrimi hujus Professoris legere vestigia! summa esto: GYMNASIUM habuit, dum habuit, ultra annos 40, TAULOVIUM, Ethicum pragmaticum, Tullium redivivum, tandem autem condidit suum jubar illustre hoc sidus, cum die 14. Maji, anni 1680, qvi ætatis erat supra septuagesimum qvintus, se hominibus eximens TAULOVIUS, ipsissimis asseruit cœlitibus. Successit tanto vitrico & Socero suo GEORGIUS HANNÆUS, qvem anno 1647. die 19 Martii suscepit Othinia, nobilissimis ortum Parentibus, Hermanno Hannæo, Senatore gravissimo, & Elisa Mulenia, Consulis

Digitized by Google

lis Othinienſis filia, ſic natus optimè, educatus eſt curatiſſimè ſub inſpectione Vigilantiſſimi olim apud nos Epiſcopi, nunc incolæ cœlorum beatiſſimi, Doct. LAURENTII JACOBÆI, (qvi paucos habuit ſui pares, ſuperiorem neminem) hùic curæ cordiqve erat, ut animulus Hannæi, fertiliſſimis pietatis excultus ſeminibus, ſvavi Muſarum perpetim nutriretur lacte, & per compendia ac tutiores vias ad penitiorem latialis lingvæ cognitionem manuductus, genio auctorum à teneris aſſvefieret, ætatem igitur Infantuli cultu literarum excitarunt privati Præceptores, Juvenculi formavit Schola Othinienſis, Adoleſcentuli roboravit & cura ſollicitiore perpolivit GYMNASIUM noſtrum, nihil inexpertum relinqvens ſibi qvod ex fama, Hannæo qvod ex uſu eſſe poſſet, his itaqve præmunitus ſubſidiis, ad alia inoffenſus, Deo duce, graſſabatur, ſacris Academicis initiatus anno 1665, diutius nunc in nobili pectore latere non poterant Virtutum igniculi, ſed diffundebant ſe latius gratô ſpectaculô, locum heic nacti liberiorem, cum in ſpem maximam qvotidie exſurgens juvenis, ad præclara qvævis, & omnia, qvæ in regno literato magna æſtimantur, plenis tetendit paſſibus, iisdemqve ità perrexit, ut ultra biennium optimus civis, ad decus publicum inclareſcens apparatius, laudem ubiqve invenerit. Cum itaqve in Theologia, Philologia, Philoſophia & Matheſi illos feciſſet progreſſus, qvi applauſum publicum laudemqve mereri poſſent, Divinæ ſervandorum hominum ſe conſecravit arti, in cujus ſtudio, ſub auſpiciis Incomparabilis Doct. Thomæ Bartholini, animoſius decurrens, magna ituræ in ardua qvævis induſtriæ ſuæ dedit documenta, famæ viam qværere, & inter Illuſtres eminere viros pulchrum exiſtimans, qvocirca æqvos rerum æſtimatores, non ſolum ſibi invenit faventes, ſed & in ſui amorem pellexit ſingulos. Anno 1668. die 7. Martii Scholæ Othinienſis Con-Rectuæ præfectus, ſeqvente an-

Digitized by Google

mno ſupremam in Philoſophia reportavit lauream. Huic palæſtræ literariæ & præfuit & profuit ultra decennium HANNÆUS, Scientia rei ſcholaſticæ exactiſſima, Eruditione omnigena, Diligentia indefeſſa, Prudentia admiranda, Cura ſollicita, Integritate incorrupta, Auctoritate ſumma præmunitus adeò, ut inter ſui Con-Rectores, qvos hactenus 24 habuit Clariſſimos Othinienſis Schola, neminem invenerit, cui plura, cui majora qvam HANNÆO debeat, ſalvâ tamen manente unius cujusqve promerita laude. Inde ad Regium vocatus GYMNASIUM, modò ſociam, modo vicariam operam ab anni 1673. die 11. Martii Socero ſuo TAULOVIO exhibuit, donec anno 1678 curam hujus Profeſſionis in ſe ſuſciperet ſolus. Spartam hanc, praxi Medicâ comitatam, non adminiſtravit modò, ſed & glorioſè ornavit ad annum 1692. Qvanta ſedulitate, qvanta felicitate per ſingulas ſcientiarum verſatus heic fuit argutias, norunt optime, qvi illum audiverunt diſcipuli plurimi, inter qvos me qvoqve numeratum fuiſſe gaudeo, & gaudeo vix ſine qvodam faſtus ſenſu! Hic ſtudiorum meorum concitator fuit ſolertiſſimus, qvi me, ſi genuiſſet, majore haud potuiſſet complecti amore, non poſuit me inter eos, qvos perambulabat, diſcipulos, ſed propria dignum cura & peculari voluit, plurima me docuit publice, privatim inſtillavit infinita, modò laudibus faciens animum, excitans ſtimulum, modo errores diſcutiens juveniles, nec qvæ noverat parce diſpenſabat aut invidioſe, qvo diutius eſſet neceſſarius, ſed, ſi modò potuiſſet, liberaliter univerſa transfudiſſet & prodige. Utinam viveret hodienum tantus Coryphæus! oſcula darem meritiſſimo capiti, cujus umbram & cineres venerabundus adoro. Nec taceam, qvod dies 13. Maji anni 1674. HANNÆUM Neonymphum viderit & ſaluraverit, qvô Virginem lectiſſimam Annam Catharinam Tauloviam duxit, ſed eandem qvinqvies fœcundam poſt novennium repetîre ſuperi anno 1683. die

Digitized by Google

1683. die 27. Augusti, qvô Conjugem svaviſſimam, in flore & ætatis & virtutum omnium conſtitutam amiſit, vel rectius, ad beatorum præmiſit ſedem, triſtiſſimum ad viduitatis ſtatum damnatus HANNÆUS, verùm ut mitigaret animum mororibus coopertum, & eò citiùs dolorum ſperaret oblivia, tanti luctus gratam exſpectans mulcedinem, non Hafniæ ſolum anno 1684 Doctorali ornatus eſt lauru, inter Æſculapii numerandus myſtas, ipſo ſic jubente Apolline, ut tœdioſos plurimorum annorum penſaret labores, ſed & Illuſtriſſ. naturæ Curioſorum Academiæ ſub Diomedis agnomine aſſociatus eſt Collega, plurimis poſtqvam intra & extra Patriam Medicis celeberrimis jam diu innotuiſſet, qvibus cum per annos pluſculos ſacra literarum colùit commercia, nihil gratius exiſtimans, qvàm doctiſſimos cognoſcere Viros, ab iisdemqve cognoſci; at complementum addidêre Superi, cum Virginem Nobiliſſimam Catharinam Luja in ſua condeſcendentem vota thalamo geniali inſereret ejusdem anni dies 5. Novembr., fidiſſimam vere utriusqve fortunæ ſociam, Anno 1692. Rensburgum vocatus, ut ad tanti caſtelli Martiorum incolarum ſanitatem vigilaret acrius, Æſculapio, cui ſacramentum dixit, ſociam ibidem commodaturus operam, pulverem excuſſit GYMNASTICUM die 16 Junii vacuam ſucceſſori relinqvens ſtationem. Diem funeſtum, atratis nefandisqve annumerandum! qvô tam facundum Eloqventiæ Profeſſorem dimiſit GYMNASIUM, qvô tam felicem morborum domitorem amiſit Fionia! Sed per qvinqvennium tantum amiſit, qvô omni officiorum beneficiorumqve genere obſtrictum Holſatia detinuit HANNÆUM, & pene ſuum feciſſet, aſt Patria novos offerens honores, una cum lauto ſalario annuo, ipſum precibus revocavit ac præmiis, Medicum provincialem conſtitutum, ſic ſvavibus Generoſiſſimorum Nobilium Fionenſium allectamentis, lauto ſtipendiô co-

Digitized by Google

comitatis delinitus, cœlo comite, rediit HANNÆUS anno 1697. Spartam heic nactus suis meritis dignam, non omnes tamen servare potuit tantus Machaon, optima licet artis præsidia in auxilium vocaret, qvi per annos bene multos afflictis succurrere didicit, nec ipse, dum aliis Medicinam faceret, à metu morbi, ab ictu mortis immunis fuit, qvin potius in aliorum sanitate restituenda occupatissimus, suam senserit ægritudinem, vertiginem sc: cum obauditione, tot vigilatarum noctium spolia! & cum vernantem ipsi non famæ solum, sed & sanitatis olivitatem comprecari vellent boni omnes, perituris duratura & caducis æterna anteponens, occubuit, nobis ereptus, cœlo redditus anno 1699. die 1. April. longiore vita digniſſimus HANNÆUS. Doleo Parcas Fioniam tunc pro theatro elegisse cruento, doleo maximum mihi ereptum amicum, Præceptorem, Affinem & Fratrem, qvid, qvod doleat eruditus Orbis tantum suo hæmisphærio subtractum Atlantem! qviescat molliter hoc decus Eruditorum & delicium, nec pereat unqvam Memoria meritis & eruditione Illustis HANNÆI.

Postqvam Hæmisphærio nostro se anno 1692. subduxisset lucidissimum HANNÆI jubar, nutare heic omnia videbantur, suaqve immergi caligine, sed novam nobis lucem reddidit novus Phosphorus, magnum GYMNASII nostri Ornamentum Vir Celeberrimus Dn. Mag. THOMAS BIRCHERODIUS, Nobilissimo Patre digniſſimus Filius, & tanto Antecessori par futurus successor, invenit heic arenam suis dignam lacertis BIRCHERODIUS, qvi jam pridem toti literato comprobavit orbi se hac sparta digniſſimum, cum THOMAM BIRCHERODIUM jam diu norint, qvi in republica literaria norunt aliqvem, & qvid ni innotesceret omnibus, cujus tam latè se diffudit Celeberrimi nominis fama, vidit etenim publicum varios divini ingenii fœtus, totidemqve immensæ

eruditionis testes; plures adhuc doctô condit scrinio, quos Propediem nos visuros speramus modò, qvi publico natus & nunqvam otiosus, sibi redderetur & Musis, qvod & spero & opto, ipsi corporis valetudinem animiqve robur seriò apprecatus. Devolvimur nunc è Latio in Achajam.

GRÆCÆ LINGVÆ Professor Ordinarius primus fuit Mag. CHRISTIERNUS LUNDIUS, Hic Lundini in Scania natus anno 1596, die 10. Martii, Patre Viro Clarissimo Mag. Johanne Michaelio, qvi gloriosæ memoriæ CHRISTIANI IV. Ephorus fuerat. Matre heroinis annumeranda Matrona, Elisabetha Mynthia. Vix è cunis ad seperastrum dimissus, Musis litare cœpit, iisdemqve familiarissimè usus, studia sua per aliqvot annos recte tractavit, usqve dum maturum Academiæ LUNDIUM exceperit Hafnia anno 1615. nec ante impetratam die 21. April. 1618., primam in Philosophia Lauream eundem dimiserit, jactis itaqve non pœnitendis in Theologia & Philosophia fundamentis, dedit tandem post devoratos labores plurimos suæ solertiæ documentum, dum Syllabum Lemmatum Mathematicorum, in primis de doctrina Ecclipsium conscriberet, Witteberge editum anno 1622. Anni 1624. die 15. Julii Scholæ Othiniensis Rector factus, seqvente anno Magister Philosophiæ, Hafniæ die 12. Maji creatus est. Demum in nostro hoc GYMNASIO ordinem numerumqve auxit Professorium anno 1628, ubi Physicam docuit & Matheſin, usqve ad annum seculi 39. qvô Lingvam Græcam profiteri cœpit, una cum Arithmetica & propositionibus Euclidis. Postqvam innuptus vixisset novennium, nupsit, (ut cum Pomponio jocari liceat) Virgunculæ Hafniensi, Catharinæ Aslaciæ, filiæ admodum Reverendi & Clariss. Dn. Doct. Conradi Aslaci, cum qvâ honestius vivens qvam jucundius geminam prolem aluit, masculam unam, alteram femineam, ita, annos hoic docens 44, consenuit apud nos LUNDIUS, donec

Digitized by Google

donec otium ipsi concederet privilegium mortis annô 1672. die 20. Martii, annum ætatis agenti septuagesimum septimum.

Labefactatam Græciam nostram reædificandam suscepit Vir Clarissimus & Eruditissimus Dn. Mag. LAURENTIUS EDINGERUS, qvi Hafniæ anno 1631. die 30. Decembr. natus, Patrem habuit Nicolaum Edingerum, civem & œnopolam, matrem Elimam Balthazari fil. pietatis & literarum domi non imbutus modo, sed & innutritus præceptis, Academiam impetravit anno 1647. die 16. Decembr. cumqve ibi varia sibi comparasset solidioris eruditionis instrumenta, maximam suam discendi plurima cupiditatem in Belgio, Germania, Helvetia & Gallia per qvadriennium explevit feliciter. Reducem in sui rectorem elegit Schola Slagelosiensis, cui operam ferme sexennem impendit, diligentia tanta, ut instigandus nunqvam, sufflaminandus videretur sæpius, summis redimitus coronis Philosophicis anno 1655. die 29. Maji. Ubi verò præsagus observasset animus certissimum Scholæ eminere exitium, cum latrantibus præ fame Docentium Discentiumqve stomachis succurreret nemo, laudato se abdicavit officio anno 1660. die 6. Junii, ne ipsi imputarent malevoli, si forte lassatæ hujus officinæ compages ipsos cum foribus postes convellerent. Et tot laborioli muneris calamitatibus reqviescens EDINGERUS, non torpuit otio, sed negotiis intentus honestis, laudabili in Theologia præluit profectui elegantissima sua Isagoge ad omnes epistolas Pauli, cui postea Prolegomena sua generalia ad IV. Evangelistas superaddidit. Ao. 1669. postqvam veniisset Othiniam, alteram partem Professionis Philosophicæ in se susceperus, GYMNASIO initiatus est die 25. Januar. simulqve Lingvæ Græcæ Professionem suam fecit anno 1672., cui designatus fuerat ab anni 1668. die 16. Octobr. anno 1674. contigit ipsi dulcissima simul & pudentissima vitæ socia BARBARA LANDORPHIA septem liberorum Genitrix,

trix, at nimis citò, qvod dolemus, explevit vitæ ſuæ terminum, æternum beatus, EDINGERUS, qvem condecorabat Eruditio. Candor & grata Concordia, dignissimum Virum! qvi noſtro diutius interfuiſſet choro, ni Angelis ſociatum die 5. April. anno 1691. intra cæleſte ſiparium condidiſſet Altiſſimus.

Succenturiatus eſt die 9. Maji ejusdem anni beato EDINGERO Vir Clariſſimus Dn. Mag. ELIAS ESCHILLI NAURIUS, græcoſtaſin heic erecturus, & græca via juniores ad eruditionem ducturus, dexteritate eadem, qvâ in Schola Hypodidaſcalus, Con-Rector & Rector docuiſſet hactenus; ubi reqvies ipſi fuit labor, & cura diſcipulorum ſolatii loco, vita & voce prælucens ubiqve, & de orbe literato tam præclare promeritus, ut qvid pro Divinis ſcriptis, in qvibus qvot verba, tot pondera, ipſi ſolvant, vix habituri ſint poſteri.

Anno 1711. ſpartam hanc ſuſcepit Vir Clariſſimus Dn. Mag. ERICUS MULENIUS, tunc Scholæ Patriæ Con-Rector, digniſſimos tanto munere habens humeros, qvod de Mercurio adepti: eſt in Mercurio qvicqvid qværunt ſapientes, id de MULENIO affirmant boni omnes, eſt in MULENIO qvicqvid deſiderant eruditi! ſervet Te mihi, & me Tibi qvàm diutiſſime Numen benignum, maneatqve inter nos æternum inconcuſſa amicitia.

Philoſophos

GYMNASII noſtri, ſine inſigni errore, nemo recenſebit, qvi non noverit bipartito heic olim excultam Philoſophiam, aliosqve Logicam cum Metaphyſica docuiſſe, Phyſicam & Matheſin alios, donec in unam telam coaluerint tandem hæc Philoſophiæ ſubtegmina.

Orna-

Digitized by Google

Ornamenta sumunt à suo Chorago, Viro Clarissimo & Celeberrimo, Dn. Mag. SVENONE PETRÆO, cujus natalium consecium fuit in Scania prædium Solleberga dictum, anno 1590. Hic Patre gavisus est Viro prudentissimo, Petro Svenonis, qvi Viro Nobilissimo, Dn. Johanni Scougardo à secretis fuit & rationibus, Matre, Fœmina honestissima, Ingera Trugilli fil. in Schola educatus primum Helsinburgensi, inde Helsingorensi, donec nido majores nactus alas, humo se tollens Scholastica, Cœlo concrederet Academico anno 1610. Absoluto Hafniæ sesqvianno fructuosè, datus est ipsi inter docentes in Schola Helsingorensi locus, ubi majoribus assvesceret pedetentim. Indè ao. 1613. ab Illustri Herôe Dn. OLIGERO ROSENKRANTZIO evocatus est, ut Nobilissimorum ipsius filiorum ingenia artibus imbueret humanioribus, placuit in tantum generosissimo huic Heroi diligentia PETRÆI, ad hanc per qvadriennium collata provinciam, & cura condita solerti, ut proprio ornatum stipendio, bonis mentibus apud exteros alendis distinato hunc nostrum à se dimitteret, in Germaniam iturum. Cum autem per biennium variam ibi eruditionem nundinatus fuisset solicitius, revocavit hunc Clientem suum magna laudati Patroni Gratia, favore Excellentissimi Episcopi Dn. D. Johannis Michaelii comitata, ut primum daret Scholæ Othinienſi Con-Rectorem, die 17. Augusti 1618. Cum autem die 10. Maji seqventis anni summis auctus esset in Philosophia honoribus, ornavit nuper cœptum officium tanta felicitate novus primusqve Con-Rector, ut intra triennium cederet ipsi, suo merito, Rectura anno 1621. die 25. Maji, cui præfuit laudabiliter usqve ad diem 3. Decembr. Anni supra millesimum sexcentissimum vicesimi secundi, tum, cum Scholæ valedixit, GYMNASIO destinatus, postea die 8. Decembr. conjugali copula junctus viduæ Experientissimi Dn. Doct. Eschilli Christierni.

Anno

Digitized by Google

Anno 1623. die 16. Januar. Orationem initialem habens, in Regium hocce GYMNASIUM Philosophiæ Professionem primus intulit, Logicam docturus & Metaphysicam. Qvantus fuerit Musageta, qvantusqve Professor Clariss. Mag. PETRÆUS, è variis ipsi oblatis officiis honoratioribus, luce meridianâ apparet clarius. Anno seculi vicesimo septimo die 1. Febr. nunciatum est ipsi, placuisse Regi Serenissimo CHRISTIANO IV., ut Filium ipsius, Illustrissimum Principem, ULDARICHUM, Pietatis literarumqve foveret præceptis, sed tantum onus cum tanto conjunctum honore deprecabatur Vir celeberrimus. Proximè seqventis Anni die 18. Febr. detulerunt gravissimi hujus urbis Consules & Senatores ad ipsum munus Pastoris primarii, in templo Divi Canuti, verum oblatam sibi lampadem tradidit ultro Collegæ suo, Dn. Mag. Sperlingio. Ut taceam heic, qvod dies duodecimus Octobr. ejusdem anni PETRÆUM sponsum viderit, qvô Virginem Nobiliss. Catharinam Muleniam duxit, ter exipso Parentem factam. Patuisset & magno huic Viro ad Academiam Hafnienſem sat expeditus aditus, modô illuc ire voluisset; ad docendum ibidem Lingvam Hebræam vocatus die 14. Sept. Anno Seculi vicesimo nonô. Sed vivere heic volens, & glorioſè heic vivens vastissimus ingenio PETRÆUS, mortem anno 1636. die 3. Julii non timuit adventantem robusta sex & qvadraginta annorum ætati ne tantillum fidens. Animum turbat inopinatus tanti Viri secessus, qvem qvoties cogito, toties lugeo, Patriæ lumen, GYMNASII decus, verum cum flecti nesciant, qvæ pudorem dedignantur Parcæ, nil juvat in supervacuo perseverare dolore, & nihil profuturo gemitu pectus diducere, benè sit beatissimi PETRÆI animulæ, & molliter qviescant tanti Viri ossa!

Coævus PETRÆO fuit Vir Inclytissimus, Dn. Mag. CHRISTIERNUS JANI, tandem S. S. Theologiæ Doctor renunci-

cia-

Digitized by Google

ciatus. Hujus (Hafniæ nati Anno 1596. die 24. Januar) Parentes, Janus Christierni & Anna Christiani, Filio, qvam propria sorte, facti sunt cognobiliores, destinatum Musis per decennium fovit Schola Metropolitana, sed plenius institutum Hafnienſi Academiæ reddidit Schola Sorana Anno 1614. Postqvam in Academia Patria biennium absolvisset sedulus & qvadriennium apud Germanos industrius, conferebantur ipsi summa Philosophiæ ornamenta Anno 1621. die 14. Maji. Nec diu privatus latuit Musteus hicce Magister, sed vires suas publicè experiri cœpit Anni ejusdem die 11 Julii, factus Scholæ Othinienſis Con-Rector, & die 11. Decembr. anni posteri, Rector ipsius constitutus. Sed vide heic B. L. qvàm felici absolverit sidere laudatus noster, Annorum illius seculi decuriam secundam: primus annus (1621.) mitram ipsi dedit Philosophicam, & Scholæ nostræ Con-Rectoram, Rectoram ipsi indulsit (1622.) secundus (1623.) tertius Professionem Physices ac Matheseos in Regio ipsi largitus est GYMNASIO, cui oratione sua (si dicere licet) inaugurali præluſit die 16. Jan. ut ut Scholæ ante 13. Octobr. non valedicens. Hinc ipsum ad se pellexit Velleja Cimbrorum anno qvarto (1624.) offerens Sacerdotium honoratum, cui die Jan. 25. sacramentum dixit. At non vixerat in Cimbria diutius qvàm in Fionia, nec substiterat Vellejæ longius qvàm Othiniæ, anteqvam anni septimi (1627.) die 24. Jan. Hafniam vocatus, Regius fieret Concionator. Nonus Annus (1629.) die 8. Aug. Academiæ ipsum inseruit Theologis, sed revocavit eundem ad Aulam iterum dies 10. Jan. Anni decimi (1630) cujus lux 28. Sept., summis in Theologia honoribus ornavit reducem, per Daniæ nostræ Lutherum redivivum Dn. D. Johannem Pauli Resenium. En longè velociorem Virtutis & Honorum, qvàm ætatis ac Annorum cursum! conferente ad hunc gloriarum cumulum qvovis ferè hujus decuriæ Anno suum suffragium, superpondium suum, non parcâ sed

pro-

prodiga manu! Nihil ad consummandum Magni hujus Viri felicitatem desiderari heic videtur, præter optatum conjugium, qvo ne careret, cavit Vidua primaria Elisa Johannis, filia Consulis Hottersneesiensis. Vidimus pulcherrimi hujus conjugii svaviſſima pignora, & vidit hodienum tantus in suis nepotibus Avus, qvibus gaudet Cimbria, lætatur Fionia, exsultat Selandia, licet ipsemet Anno 1635. die 5. Jan. ut cœlo incolam daret, in mundo esse dedignaretur, & nondum expletô tricesimô nono ætatis suæ circuitu, lauream suam coronam tot honorum fastigiis ornatam cum aurea Cœlesti permutaret, per beatam mortem de morbis omnibus triumphans.

Vacuefactam tanti Professoris discessu Philosophicam Cathedram occupavit commodum Vir Clarissimus, Dn. Mag. JACOBUS SERLINGIUS, qvi lucem, qvâ fruimur, Othiniæ salutans primulùm die 14. Martii, Anni 1591, usus est Patre Johanne Pauli Sperlingio, non fabrorum trutinâ, sed aurificis ponderando staterâ, Matre, fœmina piisima Anna Gregorii filia. Prima studiorum curricula, qvantum rudior tulit ætas, domi confecit, sed orphani curam in se suscepit Patruus, Clariss. Dn. Mag. Paulus Sperlingius, Scholæ Hamburgensis dignissimus Rector, donec post tanti doctoris dolendam mortem Othinienſi Scholæ redditus in Academiam cum laude transferretur Hafnienſem Anno 1614. Triennio post petiit à SPERLINGIO Pharmacopola Othinienſis excercitatissimus, Christophorus van der Hamsfort, ut filii ipsis ætatem juvenilem literis imbueret, & simul apud exteros peregrinationem ejusdem regeret. Fecit hoc eò libentius noster, qvô posset felicius & spargere studiorum & unà capere fructus, suasqve expolire ingenii vires, dum alienas effingeret. Atqve ita per biennium Germaniam, Helvetiam, Belgiumqve sociâ opera lustrabat uterqve, ut reduces cum tripudio reciperet Othinia.

Postqvam autem Illustri Alberto Scheelio innotuisset, tres Filios

Digitized by Google

Hos ipsius chariſſimos Gieſſæ ſui Ephori caput pependiſſe Mortæ, detulit ad hunc noſtrum laudatum provinciam Scheelius, qvàm ubi ſuſcepiſſet in Germaniam abiens, Tubingam inſedit, donec exſtincto Nobilium Epheborum medio, Patriam juberentur reviſere. Reducem in Patriam SPERLINGIUM Magiſtrales exſpectabant honores, eidem decreti ao. 1621, die 14. Maji. Ne autem publica deeſſent Virtutis Sperlingianæ & eruditionis tentamenta, ſucceſſit nuper laudato Excellentiſſimo Dn. Doct. CHRISTIERNO JANI, primum in Con-Rectura, tum in Rectura, ipſaqve tandem in hoc Athenæo Profeſſione Philoſophica, tacito qvodam fatorum arbitrio. Haud obſcura, ſed luculenta ſatis, induſtriæ ſuæ ſpecimina Reipublicæ literariæ ubiqve relinqvens. Vixerat hactenus ſolitariam vitam Sperlingius, tot curis maceratus, qvot ipſe impar fuiſſet monſtridomus Hercules, cogitandum nunc erat de eligenda utriusqve fortunæ ſocia, hanc dedit exorata pudiciſſima Virgo, Helviga Johannæa, Senatoris Othinienſis Johannis Burchardi filia, cum qva ao. 1625. ducta, concordi amore conjugali, ultra duos & triginta annos vivens, qvinqve filios, filiasqve octo genuit. At placidum hujus conjugii & tranqvillum profluentem temerabat actutum tempeſtuoſa Bellona, arma Cæſarea in Daniam exacuens. Cum verò in Campis Holſaticis Cimbricisqve detonans Mars gradivus, ità armis victricibus terreret ſingulos, ut Hannibalem ante portam metueret Fionia, imminenti ſe erepturus cataclysmo SPERLINGIUS, in Norvegiam fugâ ſibi ſuisqve ſalutem qvæſivit anno ſeculi 26, qvæſivit inqvam, ſed nondum invenit! qvemadmodum enim Dothan cogitantes olim tradebantur Samariæ, ità hic Charybdin evitaturus incidit in Scyllam, inter laceras tabulas vix ſervata è naufragio, cum liberis, uxore. Mutatò itaqve conſilio qvaſſam in Belgii aſylum mittens familiam, ipſe domum rediit, qvaſi poſt combuſtam Italiam, repeticurus Trojam. Tanto ereptus periculo,

docuit heic qvotidie Philosophiam alios, minas hostiles, more Diogenis, laborum assiduitate dispellens. Ubi verò Scholæ primum, inde GYMNASIO fructuosum impendisset sexennium SPERLINGIUS, vocatus est ao. 1628. die 16. Martii ad ædem Divi Canuti, cui annos penè triginta præfuit Pastor primarius Præpositus duos & viginti, donec lingvæ tot lustris vocali, silentium procax imperaret catarrhus, die 22. Febr. anni 1658. cujus si unicum adhuc vixisset mensem, absolvisset utiqve annum ætatis sexagesimum septimum.

Subsecutus est, GYMNASIUM relinqventem SPERLINGIUM Mag. CHRISTIERNUS LUNDIUS, de qvo antea. Hic à Physices & Matheseos Professione, post exactum decennium, transiit ad lingvam græcam docendam, cessante tunc in GYMNASIO, Con Rectoris operâ.

Verum piè defuncto PETRÆO successit ao. 1636. Dn. Mag. GEORGIUS GEORGII FALSTERUS, de qvo supra, Hic Logicam professus est & Metaphysicam usqvedum ao. 1639. ad clavum totius Philosophiæ ac Matheseos heic solus sedere cœpisset. FALSTERUM secutus est in hoc foro Vir Exellentissimus Dn. D. JACOBUS BIRCHERODIUS, & BIRCHERODIUM in hoc circo.

Vir Celeberrimus, Clarissimus Dn. Mag. MATTHIAS BANGIUS, totius eruditionis compendium, gratulor MITTELFARDO, uni è minimis Patriæ meæ urbi, qvod tantum exceperit, cujus vel ipsæ cunæ viriles fuerunt, BANGIUM, genitum à Patre suspiciendo, Claudio Matthiæ Bangio, Consule oppidi gravissimo, à Matre ultra sexum prudente Anna Erasmi, Viri Consularis filia, anno 1623. die 23. Sept Hic Præceptorum tutelæ à Patre commissus, primum in Schola Mittelfardensi, postea in Othiniensi, ac demum in GYMNASIO Musis familiarissimè usus, studia sua rectè tractavit, ad famam virtutis & eruditionis animosior contendens, usqve dum ao. 1641. die 8 Jul

Jul. civitatem impetraret Academicam, consvetis relictis sedibus ad liberiorem aspirans aërem. Factus ibidem incola domus Viri Nominatissimi, Dn. Doct. Thomæ Bangii, tot dedit elegantissima Divinæ indolis specimina, ut anno 1642. Baccalaureatus honore ipsum auxerit Philosophica facultas, Theologica ornaverit attestatione & dimissione honorifica. Postqvam autem fructuosum doctis Batavis impendisset biennium, Philosophiæ Magistrum induebat Hafniæ die 25. Maji ao. 1647. His insignitus honoribus in Germaniam se contulit, titulo & eruditione Clarissimus, ubi Lipsiæ potissimum usus hospitio famigeratissimi Theologi Dn. Doct. Johannis Hulsemanni ac Wittebergæ Clariss. Taubmanni & Celeberrimi Buchneri familiaritate gavisus, & didicit multa & docuit. Cum vero latere non posset tanti Viri fama, cœpit BANGIUM deperire Cimbria, Scholæ Ripensis Con-Recturam offerens, qvam & ipsi die 8. Sept. tradidit Vigilantissimus Episcopus Dn. Doct. PETRUS KRAGELUNDIUS ao. 1652. Utqve firmius detineret eundem hæc urbs, dedit ipsi consortem Tori lectissimam Senatoris sui & Pharmacopolæ filiam. Pervicit nihilominus soli dulcedo Patrii! ideoqve haud invitus Othiniam se contulit anno 1653, à Magnifico Cancellario Dn. Christiano Thomæ evocatus, ut destinatam sibi Scholæ nostræ susciperet Rectoram, cui ipsum die 25. Jul., præfecit solenniter Episcopus Eminentissimus Dn. Doct. Laurentius Jacobæus. Huic Palæstræ literariæ ultra novennium ita præfuit BANGIUS, ut, extra censoriam notam positus, orbem eruditum sibi reddiderit tributarium. Postqvam in Schola diu satis plurimis fructificasset culmis, Clariss. REGII GYMNASII Professorum numerum splendido suo accessu longè conspectiorem reddidit Anno 1663. die 30. Martii, qvô, jussu Regio Glorioſissimi FRIDERICI III., Philosophiam & Mathesin heic publicè profiteri occœpit, luculenta diffusæ eruditionis vestigia, consvetô more heic Magnus signavit BANGIUS, qvem

Digitized by Google

adeò exactè tornaverat Minerva, ut huic nihil addere, nihil demere ipsa potuerit Invidia. At mortalem fuisse, dignum immortalitate, BANGIUM, testatus est anni 1667. dies 14. Nov. tam splendidum depositum solo natali redonans.

Post mortem beatissimi BANGII, findi iterum cœpit Philosophica Professio, Regio indultu divisa inter Viros Clarissimos Dn. Mag. NICOLAUM ANDREÆ HAELSIUM, Rectorem Scholæ, & Dn. JONAM PETRI TIMMERMANNUM, Cons. Rectorem. Verum cum dies 29. Jan. ao. 1668, qvi HAELSIO erat (qvod mihi Roma condonet) Inauguralis, factus fuisset TIMMERMANNO emortualis, docuerunt heic Philosophiam & Matheſin qvatuor integra, & qvod excurrit lustra, vicibus partitis EDINGERUS & HAELSIUS.

Qvinqvenni informatione præclarè de me promeritus est Divus HAELSIUS, qvi ortum suum Clarissimis, iisdemqve optimis debet prosapiis. Pater M. ANDREAS JANI, Ecclesiastes Slagelosianus & Nomarchiæ ejusdem Præpositus dignissimus, ab uxore Metta Svaningia hunc susceptit filium ao. 1632., generis claritatem tantum abest exstinxerit, ut Eruditionis & Integritatis accessione reddiderit illustriorem, cum tam bene natus, optimè educatus sit sub auspiciis Rectoris Scholæ Slagelosianæ Celeberrimi Johannis Corvini, qvi in pulvere hoc ultro currenti calcaria addidit & stimulos, qvò ad propositam alacrius properaret metam, perrexit & animosius in studio hoc bonus HAELSIUS, & pulverem collegit eruditum, ad actiones rectas ab obseqvente ingenio suo commodum deductus, & in hac Sapientiæ sede ità profecit. maxima ingenii felicitate Musarum sacra colens, ut laudabili ornatus testimonio Anno 1651, humo se tollens, Cœlo se credere aulus sit Academico. Integrum biennium in statione hac ita versatus est, ut pietatis, modestiæ & virtutis omnis laudem de industria sectari visus, nullius non favorem sibi conciliare potuerit, niveos bonorum omni-

ni-

nium promeritus calculos. Curriculo hoc tam laudabiliter confecto, Academiæ valedixit, non ut in latibulis obsoletis ignaviæ inveniret patrocinium, sed ut apud exteros famæ viam qværeret, patrios reliqvit lares, Norvegiam profectus, ubi studiis primo Nobiliorum puerorum præficitur, indeHollandiam, Angliam, Galliam, Helvetiam & Germaniam per septennium lustrans, eruditos sibi familiares reddidit Viros, ubiqve diffusæ eruditionis vestigia & acutissimi ingenii relinqvens specimina. Redux in Patriam suprematn in Philosophia lauream, suis meritis dignam, non imploravit, sed oblatam, suscepit. Anno 1662. die 12. Julii, Scholæ Othinienſis Con-Rectura, & anno seqventi Rectura ejusdem præfectus, suam æternitati dicavit famam, in communem discipulorum salutem indies multa & cogitans & præstans. Nefas, hercle! propudiosum committerem, & vel ipsas contra me armarem Musas, si tanti Viri laudes & merita silentii involverem sipario, cujus mortis memoratio mihi ungvis in ulcere est, sed terrent me vestigia Celeberrimi Naurii, cui facilius est ex tempore dicere, qvam mihi meditata proferre. Hic magnus dicendi Magister, & communis totius Scholæ Othinianæ acutissimus vindex, publica ipsius merita encomio decoravit publico in sua Oratione valedictoria (Hafniæ impressa 1699.) dum Rectorum Clarissimorum qvemlibet lethæis eriperet obliviis. Anno 1671. die 4 Julii svavissimam tori obtinuit sociam, & curæ vitæqve consortem, Virginem lectissimam Amaliam Agnetem Rehefeldt, Viri Nobilissimi & Reverendi, Mag. Bonaventuræ Rehefeldt, Superintendentis Generalis in Ducatu Slesvicensi, & Præpositi Haderslebiensis chariss. filiam, sed laboribus Scholasticis per annos viginti qvinqve tandem delassatus HAELSIUS, suo comprobavit exemplo qvam fragili nos DEUS materia orsus est, cum anno 1687. ita in furias acta detonabat Morbona, cer-

tas

cas in Miſellum undiqve conjiciens petitiones, ut corpus tot vitæ fatigatum taediis anima penè caſſum feciſſet, ſceptra itaqve Scholaſtica depoſuit, & triſtiori ſuæ ſorti relictus, annis venerandus atqve meritis, certiſſimum fragilioris vitæ noſtræ exhibuit documentum, ad anni 1704. diem 15. Novembr. ætatis 72. qvô pie obdormivit & placidè, animam Deo, ſepulchro corpus, orbi famam, liberis & amicis æternum ſui relinqvens deſiderium.

Rectori & Profeſſori emerito, de Schola & GYMNASIO optimè promerito levem terram & æternam apprecamur memoriam.

Poſtqam autem a parum firmis deſtitutus poplitibus, HAELSIUS benè promeritum impetraſſet Honorarium titulum, & rebus humanis ereptus fuiſſet Divus EDINGERUS, diu ſatis divulſam Philoſophiæ & Matheſeos Profeſſionem, priſtino reſtituendam nitori, copula felici conjunxit iterum die 23 Aprll. anno 1691. Vir Clariſſimus Dn. Mag. THOMAS BRODERUS BIRCHERODIUS, ſed cum locum abeuntis HANNÆI anno ſeqvente occuparet, provinciam hanc publicis privatisqve redemptam exercitiis anno 1692. die 17 Nov. ſuſcepit LAURENTIUS LUJA, tantis anteceſſoribus aliqvalem daturus ſucceſſorem. Occurrerent & qvædam de ipſo dicenda, ni illa ab alio audire mallem, cum nemo ſit mihi propinqvior LUJA, id pudore ſalvo dicere non erubeſco: fruſtra hoc non vixit hactenus!

Tot Clariſſ. Virorum robuſtiſſimi humeri noſtrum hoc hactenus ſuſtentaverunt eruditum hæmiſphærium. Facinus eſſet, tot poſthac ignorare Nomina! ſcelus, tot unqvam conculcare merita! parricidium prope, tot illaudatos dimittere Viros! at, qvid inveniam Vobis, Veſtrisqve ſat dignum meritis, ô Præcellentes Collegæ? vereor qvippe, ne pie defuncti, rideatis terrena aſſveti cœleſtibus. Nolite autem ſupra noſtrum auſpi-

Digitized by Google

ſpicato evecti polum infra veſtrum nata deſpicere horizontem; cum placuerint & Superis mortalium libamina.

En defero itaq; Vobis omnibus ob praclarè vel navatam operam, vel navandam propediem, nomine GYMNASII REGII (eunte mecum in has partes erudito orbe) Gratas, toto Cupidinis comitatas populo, Corollas, redivivis ornatas lemniſcis, Famam, nun qvam morituram, Memoriam, æternùm duraturam!

EPISCOPI FIONENSES

a tempore Reformat.

	anno
Mag. Georgius Jacobæus Viburgenſis	1537
Mag. Nicolaus Caſpari Viburg.	1558
Mag. Jacobus Matthiæ Wellejus	1582
Mag. Johannes Canutus Wellejus	1607
Doct. Johannes Michaëlius Othinienſ.	1616
Doct. Laurentius Jacobæus Hindzholmius	1651
Doct. Nicolaus Bang Fionenſ	1663
Doct. Rudolphus Moth deſignatus	
Doct. Thomas Kingo	1673
Doct. Chriſtianus Rudolphus Müller	1705
Mag. Chriſtianus Muus	1718
Dn. Jacobus Rodberg	1717

Cui multos ſine nube, ſine nebulis in ſanitate apprecamur annos, ut nobis & poſteris interſit qvàm diutiſſime.

PROFESSORES CYMNASII.

Theologi.

Dn. Petrus Haringius	1538
Dn. Nicolaus Brunius	1539

M.

Digitized by Google

M. Christophorus Grallius	1552
M. Georgius Simonides	1563
M. Janus Paulinus	1572
M. Johannes Langius	1574
M. Jacobus Wolfius	1593
M. Johannes P. Wandingius	1635
M. Georgius Georgii	1665
Doct. Jacobus Bircherodius	1663
M. Canutus Landorphius	1681
M. Elias Eschilli Naur	1711

Lingvæ Latinæ Professores.

M. Gr. Bartholini Taulovius	1639
Doct. Georgius Hannæus	1678
M. Thomas Bircherodius	1692

Græcæ Lingvæ Professores.

M. Christiernus Jo. Lundius	1639
M. Laurentius Edingerus	1672
M. Elias Naur	1691
M. Ericus Mulenius	1711

Philosophi.

Mag. Svéno Petræus	anno 1623
Mag. Christiernus Jani	1623
Mag. Jacobus Sperlingius	1624
Mag. Christiernus Lundius	1628
Mag. Georgius Georgii Falsterus	1636
Mag. Jacobus Bircherodius	1655

Mag.

Mag. Matthias Bungius 1663
Mag. Laurentius Edingerus 1668
Mag. Nicolaus Hadsius 1668
Mag. Thomas Brod. Bircherodius 1691
Laurentius Luja 1699

Designati Professores.

Mag. Canutus Richardi
Mag. Johannes Ring
Dn. Georgius Wichmanni Hasebardus
Mag. Jonas Timmermannus
Mag. Christianus Henricus Luja
Mag. Thomas Aabye.

Rectores Scholæ.

Dn. Christianus Schytte 1551
Mag. Laurentius Colding 1553
Mag. Petrus Olai Aarhusianus 1562
Dn. Christiernus Laurentii Resingdalius 1577
Mag. Johannes Bahgius 1580
Dn. Petrus Michaëlis Findius 1585
Dn. Johannes Nicolai 1588
Dn. Johannes Pauli 1590
Dn. Petrus Rider 1593
Mag. Johannes Petri Glamdorf 1597
Mag. Nicolaus Hammer 1602
Mag. Canutus Besche 1606
Mag. Johannes Michaëlius 1609
Mag. Jonas Petri Wedel 1614
Mag. Canutus Richardi 1617

Digitized by Google

Mag. Sveno Petræus	1621
Mag. Christiernus Jani	1622
Mag. Jacobus Sperlingius	1623
Mag. Christiernus Lundius	1624
Mag. Ingvardus Nicolai	1628
Mag. Georgius Falsterus	1631
Mag. Henricus Pontoppidanus	1636
Mag Henningius Actbonius	1642
Mag. Matthias Bangius	1653
Mag. Nicolaus Haelsius	1663
Mag. Elias Naur	1688
Mag. Thomas Bircherodius	1694

Con-Rectores.

Mag. Sveno Petræus	Anno 1618
Mag. Christiernus Jani	1621
Mag. Jacobus Sperlingius	1622
Dn. Christiernus Humbled	1623
Mag. Ingvardus Nicolai	1625
Mag. Georgius Falsterus	1628
Mag. Johannes Friis.	1632
Mag. Georgius Taulovius	1638
Mag. Nicolaus Sassius	1639
Mag. Henningius Christiernī Actbonius	1640
Mag. Ludovicus Johannis	1642
Mag. Johannes Mulenius	1652
Mag. Ivarus Wandalinus	1653
Mag. Johannes Gosman	1655
Mag. Johannes Rhodius	1660
Mag. Nicolaus Andreæ Haels	1662
Mag. Petrus Vinslovius	1665

Digitized by Google

Dn. Jonas Timmermannus	1666
Mag. Georgius Hannaus	1668
Mag. Elias Naur	1680
Mag. Thomas Bircherodius	1688
Mag. Ericus Mulenius	1694
Mag. Christianus Henricus Luja	1711
Mag. Thomas Aabye	1714

Pro-Rectores.

Mag. Elias Naur	1684
Mag. Ericus Mulenius	1693
Dn. Severinus Elers	1720
Dn. Severinus Anscharius	1722

Digitized by Google

Vacua ne maneat pagella,

Inscriptionem hanc, in primario Othiniarum templo lateri meridionali adaptatam, cum venia Lectoris, apponi voluerunt demortui hæredes

Vir Nobilissimus, Amplissimus & Eminentissimus DOMINUS

Doct. JANUS BIRCHERODIUS,

Natus est Othiniæ 15. Jan. 1658, Patrem habuit Virum Celeber. & pl. Reverendum Doct. JACOBUM BIRCHERODIUM, in Othin. Gymnasio S. S. Theolog. & Linguæ Hebr. Professorem & in Collegio Consistor. Assessorem, Matrem primariam Matronam SIBILLAM RISBRICH.

Post locata domi melioris fundamenta eruditionis, Scholæ publicæ & postea Gymnasio heic tractus, ubi cum ingeniis commilitonum, cum votis docentium, imò cum Parentum desideriis feliciter certans in album studiosorum relatus est Hafniæ anno ætatis 16. Huc intromissus non seculi sectatus est affanias, sed solidiorem in Theologia linguisque Orientalibus cognitionem arsit, quarum vasta latifundia, immenso redemta labore, intra suum, nihil transmittens, condidit cerebellum, felicitate tanta, ut Juvenem imberbem, in his versatissimum Sacris, stuperent etiam apud exteros barbati Viri, liberalium studiorum ipsius, variæque doctrinæ admiratores. Redux in Patriam, è manu spectabilis Decani summa ipsi cum

conferebantur Philosophiæ ornamenta, anno seqvente Communitatis Regiæ Præpositus factus, & proximè subseqvente Lingvæ Hebr. Professor Ordinarius.

Omisit heic nihil, qvô suam adornaret spartam BIRCHERODIUS, cum oneri tanto pares haberet humeros, ne autem curis, qvibus non assveverat, succumberet œconomicis, devolvebat easdem providè satis in Virginem Nobiliss. SOSTRATAM BARTHOLINAM, cum qva ao. 1690 matrimonium conjunxit, & per annos 18. sine prole vixit, sed prudenter placidè & amicè vixit.

Anno 1692. primum in Academia Eqvestri, & itidem in Universitate Hafnienſi Professionem obtinuit Theolog. hinc ipsum ad se pellexit Alburgum Cimbrorum cum ao. 1693. ejusdem Dioec. Episcopus sit creatus & anno 1697. summis in Theolog. honoribus ornatus.

Stationi huic sacræ masculo animo, pio zelo, cura sollicita, integritate incorrupta, authoritate moderatâ & nulli superanda industria annis 15. sancte præfuit, qvibus Præpositos 12, Pastores 98, & sex ordinavit Rectores;

Ast mortalem fuisse, Virum tantum testatus est heu! dies 22 Nov. ao. 1708. qvô mundo se subduxit, inserendus Olympo.

Me-

Digitized by Google

Memoriæ & meritis beati Conjugis hoc monumentum heic poni curavit relicta Vidua, qvæ apud nos, post obitum Mariti, pie & caste vixit ad annum ætatis 58, qvô placide exspiravit, mortem non timens, sed adventantem spe melioris vitæ & resurrectionis futuræ, ad os & pectus, ipso resurrectionis Christi festo ao. 1717. svaviter pressit, & ne turbarentur demortuorum ossa, ducentos thaleros huic templo legavit.

Umbras adorat venerabundus, qvi hæc scripsit L. LUJA, in Regio Othin. Gymnasio Philos. P.

1728. 1729. frequent. Gymnas. Othin.

Petrus Weile.

Digitized by Google

Nobilissimum & Clarissimum Virum

LAURENTIUM LUJA

In Regio Gymnasio Othiniano
Philosophiæ
Professorem Celeberrimum

Cum

STATUAM HONORIS GYMNASIO OTHINIANO ERECTAM.

In lucem ederet

Ita salutabat
J. B.

Non Tibi GYMNASIUM satis est ornare docendo,
Non satis: Heic, olim qvi docuere, doces.
Qvis PATRIIS ortus dedit incunabula MUSIS,
Qvalis ATHENÆO cultus & ordo fuit;
Natalem nostram, qvibus ASSERTORIBUS, urbem
Musæ immigrarunt, Auctor abundè notas.
Qvem relegens censum, Tua munera prædico gratus,
Illius est sangvis pars qvoq; parva meus,

Est

Digitized by Google

Eſt Tibi materies qvoq; gens mea: Pagina multa
MULENI nomen BIRCHERODIQVE refert.
Priſcæ ætatis honos LUJA qvòd vindice floret,
Secla ejus laudes noſtra, futura canent.
Muſarum OTHINIÆ, Lector, monumenta libellum
Suſpice: LUJANI nominis iſtud habe.

Anno 1728 = 1729 frequentarunt Gymnasium Othiniense
hi sequentes:

1 - Simon Urbanus Reindorph
2 - Mathias Lanvesten Eilschow
3 - Nicolaus Lonhauen
4 - Salomon Lonhauen
5 - Andreas Kieldorph
6 - Petrus Weile
7 - Fridericus Krog
8 - Jacobus Hee
9 - Georgius Hee
10 - Martinus Wemmenhöy
11 - Casparus Drejer
12 - Christiernus Fischer
13 - Benediscus Kühn

Digitized by Google

Errata, qvæ irrepſerunt, ſic corrige

pag. 9. lin. 7. lege occurrant
lin. 24. de æqvè ignotis ignoti conticeſcerent,
pag. 16. l. 7. Philoſophicæ
pag. 17. l. 3. (vid: infra pag: 19)
lin. 6. Adoleſcentiam
pag. 18. l. 12. flectere
l. 19. Gymnaſiaſtica
pag 25. l. 22. ipſius
pag. 30. l. 4 Johannes
l. 29. Cancellarii
pag. 32. l. 15. Philoſophica
pag. 41. l. 19. Illuſtris
pag. 43. l 26. ſuperaddidit
pag. 48. l. 14 Sperlingius
l. 25 ipſius
pag. 49. l. 26. Seculi
pag. 54. l. 12 Poſtqvam
~~pag. 61. l. 9. Soſtratam~~

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

WIDENER LIBRARY
HX UA8L.X

Digitized by Google